

3 1761 05400122 7







AENEAE SYLVII
PICCOLOMINEI

DE DVOBVS AMANTIBVS HISTORIA.

Lectiones varias, pluribus e codicibus, incunabulis, editionibus, studiose excerpsit, locosque, studium huius operis omnibus praeferendo commodis suis, ex poetis antiquis, quibus Aeneas in contextu utitur, quod antehac nemini adhuc notabile erat, adnotavit; fontes, unde petantur versus occurrentes, perlegendo veteres, invenire contendit; inventa definivit; textum innumeris a mendis purgavit; lacunas explevit; introductionem praeposuit; epistolas Aeneae nonnullas acutas, indicem locorum inventorum dupplicem adiunxit, textui effigies, ex libro antiqussimo Aeneae coaevo et imaginem propriam iniunxit:

IOSEPHVS I. DÉVAY

POSONIENSIS, E VALLE MOLARVM,

offic. tabularii ministerii financ.

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.
Ovid. Pont. III. 4; 79.

INSTAR MANVSCRIPTI.

BUDAPESTINI MCMIII.
Typis I. Heisleri.

Viro

Amplissimo iuxta et Doctissimo

Aemilio Thewrewk de Ponor,

Philosophiae Doctori, Professori universitatis Budapestinensis &c. fautori scientiarum meritissimo, sese ac opusculum suum cum aeterno cultu et obsequio dedicat, consecratque

Iosephus Dévay.

Domine Magnifice!

Noctibus contractioribus lucubratum opusculum, an dicarem Tibi, vir amplissime, diu dubia ancipitique mente distrahebar. Cum emin Te ingenio et scientiis prope singularibus videamus: quid dignum eruditione Tua, aut sat exploratum probatumque, homo ego minime ambitiosus, simplex, rectusque, in studiis litterarum scribendis homo novus, apud Te afferre possem, haesitabam.

Numquid ex agro ieiuno et exili poma Alcinoo,[1]) aut Florae serta[2]) dare tentarem, ut, quod Phormioni Hannibal,[3]) id Tu mihi obiectares? Rursus commentationes meas, qualescunque forent cuius patrocinio potius committerem, quam Tuo, habebam neminem. Solus Tu mihi occurrebas, cuius ingenii praestantem vim, animi dotes, acre iudicium de studiis bonarum artium et omni antiquitate novimus.

Tu, maximum artis nostrae decus, animum meum haerentem ad opusculum hoc edendum incitasti. Sed, ut cum Aenea nostro loquar: „non minus me scribere, quam Te poscere decet. Ego debeo morigerus esse; Tu vide, quod postules!"

Stimulum addidisti ad expediendam rem arduam et magnis difficultatibus implicitam, quam non praepostero ullo, aut laureolae aucupio, susceptam a me esse, asseverare quavis contentione possum. Neque defuturos in nostris esse scio, qui gratiae nihil apponi mihi, aut meae huic opellae, contractis superciliis decernent, indignati tantum abs re mea otii mihi fuisse. Sed nec praemia boni nuntii ab iis exspecto, quibus aut diligentia mea otiosa videbitur, aut veritas acerba, qualem certe hac commentatione cognatio rerum ac discussio causae mihi non infrequenter excussit.

Cum ad Te venirem, benigne quidem exceptus et comiter, ad focum consedi. Litteris erudita Tua colloquia, miraque suavitas voluptate maxima animum meum perfundebant. Tu patronus eras primae meae, hungarice scriptae, commentationis de Aeneae Sylvii historia duorum amantum.[4]) Sed

---

[1]) Ovid ex Ponto III. 2; 10. Martial. VII. 42; 6. [2]) Ovid. Fast. V. 219. 220. [3]) Cic de orat. II. 75; 77. [4]) Praelecta qua libellus aditi alis, in sessione Philologorum Budapestinensium, mense Aprili 1888.

ingenii mei infirmitatem reputando, tam fortem Aeneae molem cognosco, ut paene mihi videatur comparationem inter illum et me aequalem esse conatui, digito caelum tangere velle. Propterea omnes, qui de Aenea, eius vitae descriptione et imagine, dictis, factis, scriptis et de eius aetate, exacte edoceri cupiunt, legant rogo opus doctissimi Viri *τοῦ μακαρίτου*, doctoris *Georgii Voigt*, (Enea Silvio de Piccolomini, als Papst Pius II. und sein Zeitalter. Berlin, 1856—1863. Ge· Reimer, 3 Bde.) cuius hac in re ne corrigiam quidem calceamentorum solvere dignus sum, cum mihi, quem vix stillicidii pauperis attenuata gutta perfundit, quique nil proprio fonte respiro, rivulos tantum doctrinae consector, cui nullius scientiae irrigua fluenta succurrunt.

Si autem verecundia in Te, vir doctissime, ductus et illi gratiam praesto, de quo non digne loquor: haud mihi iniuriam inire videor; concedi enim per veniam credo, quod devotione peccatur.

Nec meum, in hoc opusculo exprimendo, laborem amplius praedico. Notum quippe omnibus adagium: „vino vendibili suspensa hedera nihil opus.“ Et altera, cuncto probata mercurialium foro Plautina circumfertur sententia: „invendibili merci oportet ultro emptorem adducere, — proba merx facile emptorem reperit.“ [1])

Sereno igitur vultu, benevolentique animo, Vir amplissime, accipias hunc meum laborem, puem haud dignum Tuo patrocinio, suffragiis Tuis commendo; quem, si presso police exceperis: mihi demum, meisque invigilatis noctibus gratulabor; sitque opusculum hoc obsequii mei, humillimaeque clientelae pignus et patiaris Tibi persvaderi: votorum meorum esse summum, ut diutissime salvus perennes, quo Tuis auspiciis res litteraria in optimum statum vertat.

Ne autem protracta pagina fastidium potius proferat, quam arrigat lectoris animum, nunc de Aeneae opusculo proponam: at priusquam in praesentis operis adytum, Te, benignissime, introduco: paucis mihi de huius antecedentibus quoque causis exponendum puto. Vale!

Budapestini, Idibus Maii, 1888.

---

[1]) Poen, 1. 2; 128. 210.

Copia

Budapesten, 1894. május 29.

Tekintetes Tagtárs Ur!

Aeneas Sylvius „de duobus amantibus“ novellája eredeti szövegének Ön által javitott s nekem bemutatott példányáról örömmel elismerem, hogy az emlitett *novella szövegének javitása, helyreállitása s a remekiróktól kölcsönzött helyek fölfedezése körül fáradhatatlan szorgalmat és jártasságot tanusitott, úgy hogy most tiszta, úgyszólván kritikai szövegünk van.*

Ezért a munkáért *minden dicséretet és pártfogást érdemel.*

Fogadja szives üdvözletemet *Ponori Thewrewk Emil,* m. p. T. Dévay József úrnak, helyben.

Latine:

Budapestini die 29. Maii a. 1894.

Domine spectabilis collega!

Quod per Te emendatum et mei arbitrio permissum, „Aeneae Sylvii de duobus amantibus historiae“ orationis contextae adtinet exemplum, *cum gaudio fateor:* Te emendando et restituendo orationem fabellae, cuius superius memini, sicut detegendo, *investigando et reperiendo, locos ex antiquis auctoribus mutuatos, navitatem indefessam sollertiamque praestitisse, nosque nunc verba scriptoris a corruptelarum sordibus purgata immo ad criticam rationem correcta possidere.*

Pro hoc tuo opere omnis generis laudem et gratiam promereris.

Accipias salutationem meam sinceram. *Aemilius Thewrewk de Ponor* m. p. Spectabili domino Iosepho Dévay, hic loci.

Introductio.

Alphredus Meissner, memoriae immortalis, inter Germaniae gentium poetas excellentissimos, haud ultimus, anno 1870 bibliothecam civitatis *Turigi* perlustrando, reperit librum: „*Aeneae Sylvii, de duobus amantibus historia,*“ quem tam iucundum legendo invenit, ut eum tractatu dignum habuerit, quem et in actis diurnis „Presse,“ Vindobonae, iuris publici fecit.

Iam tunc temporis me tractatus hic magnopere incitavit ad perlegendam hanc historiam. Sed plures incidentes casus mortis et alia in familiam meam affligentia tela fortunae sinistrae, nec non persecutiones non promeritae desupernae, quietem animi mei in tantum exstinxere, ut desertis laribus paternis, focum mihi condiderim novum, procul ab ossibus parentum, duarumque uxorum. Hic Budae denique aliquantum animum meum collegi. Fortuito casu iterum ad manus mihi venit Meissneri tractatus et recenter me allexit, historiam hanc ut legerem. Diutine eam, variis curationibus, quaesivi; tandem pretio magno historiam hanc adeptus sum Monachio, a librario *Ludovico Rosenthal*, cuius tabernam librariam, cui nunc Iacobus Rosenthal praeest, omnibus, qui libris immorantur, quosve summum librorum studium tenet, optime commendo.

Est liber hic sic dictum *incumabulum*, triginta quatuor foliorum non signatorum, viginti septem versuum, in formam quartae redactus, sine loco nec anno, sine signaturis nec custodibus. Litterae initiales minio inscriptae, maiusculae autem minio tinctae. (Vide Hainii repert. sub numero 215.)

Qui incunabula legit, scit, quantae occurrunt difficultates in investigandis et persequendis notis contractis, sive abbreviatis. Mihi, qui *non sum philologus theoreticus, sed philolatínus*, ab initio his difficultatibus contendendum erat; sed, mente sana et patientia, omnia removi, quae obstabant. — Descripsi. — Hinc inde animadverti, deesse aliquid in contextu rerum ac verborum. In quantum possibile erat, per coniecturam explevi; errores typi innumerabiles, nomina propria detorsa, locos ad intelligendum non apertos, permultos reperi.

De die in diem magis sensi, mihi altera utique opus esse editione. Scripsi ergo Turigum, ubi Meissner opusculum,

de quo iam pluries mentionem feci, indagaverat. Liberalitate domini dr. Hermanni Escher, qui ibidem bibliothecae civitatis praeest, mihi liber mittebatur. Index libri est: „Storia di due amanti di Enea Silvio Piccolomini in segvito Papa Pio secundo col testo latino e la traducione libera di Alessando *Braccio*. Capolago tipographia elvetica. 1832."

Contuli hanc editionem cum mea et ecce! plures depravatos, quam correctos, inveni locos, quam in incunabulo, quod in lectionibus variantibus in oculos cadit. Magnopere mirabar, virum, qui textum nostrum in lingvam italicam vertere instituit, eumdem, tantopere depravatum, typis mandare ausum esse.

Quid nunc! Repperi in bibliotheca universitatis Budapestiniensis: „opera Aeneae Sylvii, quae exstant omnia, nunc demum, post corruptissimas *ae*ditioes, summa cum diligentia castigata" &c. edita per Marcum *Hopperum*. Basileae, 1571. ex officina Henrikpetrina.

Contuli nunc tres editiones. Ecce! qui corruptissimas *ae*ditiones, summa cum diligentia castigare sibi proposuerat, non multos meliores, sed plures adhuc magis depravatos mihi praebuit locos, quam in duobus prioribus editionibus inveneram. Hanc unicam mihi Hopperus operam navavit, ut vocabula et periodos, quae mihi deerant, supplere et hac ope, iam consummatam translationem historiae de duobus amantibus, in lingvam germanicam, pleniorem efficere potuerim.

Nihilosecius. praeter barbarismos oliquot, uti: gallicior, penosius, postergare &c. adhuc plures obscuri supermansere loci, quos enucleare minime valui. Incunabulum meum, exceptis locis qui desunt, optimam adhuc orationem mihi praebuit contextam.

Me laborantem, unde adhuc editionem quartam conquirerem, hac ex molestia liberavit I. Allb. *Fabricius, ὁ μακαρίτης*; in bibliotheca enim sua mediae et infimae aetatis latina dicit, in collectione monumentorum veterum S. Frid. Hahnii, t. I. Brunsvigae, 1724. edita, contineri versionem germanicam antiquissimam historiae nostrae. *Ebertus* in suo „allgem. litter. Lexicon," ad num. 9189. prafixa stella, significat, librum hunc in bibliotheca regia, Dresdae esse. Liberalitate domini dr. Franc. *Schnorr de Carolsfeld,* (filii magni nominis pictoris)

tomum hunc accepi. Translatio haec, quamquam in lingva nunc obsoleta medii aevi germanica, plures locos obscuros mihi explanavit, quia accuratissima, hinc inde abbreviata, aliis iterum in locis longius producta.

Inter Ludovici Achim de Arnim narrationes selectas, (Ausgewählte Novellen, Berlin, A. Hofmann und Comp. 1853. t. II. p. 129. seq.) historia haec quoque occurrit, sub inscriptione: „Eurial und Lucretia. Liebesgeschichte des Kanzlers Schlick und der schönen Sienerin," — sed valde depravata et interpolata; verisimiliter ex versione Weylii, quia multa verba germanica obsoleta retinuit.

Iam tunc temporis, in prooemio ad versionem germanicam meam, confirmavi: mihi videri, illum, qui historiam toties memoratam, in germanicam verterat lingvam, quam nobis Hahnius praebet, Alemannum fuisse, comprobatum inveni. Nam, superius laudatus Ludov. Rosenthal libentissime mihi utendam misit huius historiae versionem germanicam, anno 1462. · factam per *Nicol. Weyl,* scribam esslingensem, „sed nunc," (1550.) „de novo editam," *cum figuris ligno incisis,* non tam pulchris, quam potius aptis ad alliciendos spectantium animos, de quibus alibi referam et quarum exempla, luce depicta, concedente Ludov. Rosenthal, opusculo huic adnectam. Iniungo opusculo huic adhuc duas imagines: Aristotelem nempe et Samsonem, quae ad exempla, Norimbergae in museo germanico existentia vitro impicta, — vi electrica aeri incisas a domino I. I. Weber Lipsiae emi Harum exempla etiam inhuius: „Illustrirte Zeitung 12. Junii 1902. sub numero 3076. invenies.

Contuli hunc textum cum excerpto, quod mihi ex editione Hahnii, exscripseram et inveni, eum, cum, fere saeculum inter versionem Weylii et editionem hanc (secundam?) intercesserit et propterea in hac posteriore lingva quoque tempore commutata sit, per Hahnium nobis conservatam versionem verisimillime Weylii esse, ergo — per Alemannum — confectam.

Postremo, permissu liberalissimo viri amplissimi dr. *Gulielmi Hartel,* equitis, directoris bibliothecae caes. reg. aulicae vindobonensis, vir doctissimus Dr. *Alphredus Goeldlin de Tiefenau,* custos eiusdem bibliothecae, comitissime contulit locos obscuros, qui adhuc manuscripto meo inerant, cum duobus manu scriptis codicibus ibi exstantibus; lectiones varias ipse exscripsit et mecum communicavit.

Lectiones codicis palatini vindobonensis 3148. f 98. b. — 113. a. sub „V. a." codicis vero 3205. f. 61. a. — 81. b· sub „V. b." in lectionibus variantibus notabo. De codicibus his inferius exponam.

De Car. Hutten translatione german. Leipz. 1900. Laudien, tractavi in: Zeitschr. für vergl. Litt. Gesch. Weimar, 1896. p. 495.

Quia opusculo huic multae insunt elegantiae poeticae, quas Aeneas noster, plerumque ad verbum ex veteribus auctoribus, Boetio, Catullo, Horatio, Iuvenali, Lucano, Martiali, Ovidio, Pedone, Plauto, Propertio, Seneca, Statio, Terentio, Vergilio, porro e Donato, Hieronymo, Hygino, Petronio, Servio, (ad Vergilium) Theophrasto, (per Hieron) ex veteri testamento, Boccaccio et e Pantschatantra, historiae suae admiscet adeo, ut iure dicere possimus, historiam hanc *centonem variorum* esse, sed nusquam, duobus exceptis locis, fontis mentionem facit, *quod ante me, nemo adhuc animadvertit, aut commemoravit, ne Georgius quidem Voigt,* de quo in dedicatione mentionem feci, qui Aeneam nostrum ex asse novit; quapropter Lucret. V. 337. 338. fere ad me pertinere potest. Qui loci etiam, duobus exceptis hexametris, quorum originem absoluto quondam, (sed certe deficient vires), iam inchoato opere meo: „*Concordantiae veterum poetarum latinorum,*" inveniam, unde sint sumpti, — constitui, in lectionibus variis adnotavi, separatim autem IX. Kal. Iulii A. D. I. MCMI· ex mei musaei tenebris primum in lucem publicam evolarunt. Exemplar huic editioni adiungo.

Quia autem opusculum hoc, praesertim ad finem, aptum ad permovendos animos, more poetis frequentissimo, scriptum est: non rebar errare, si notitia lingvae latinae, quae, proh dolor! in dies obsolescit, in emolumentum, adhortationem et delectationem eorum, qui lingvam latinam non callent, — abuterer, in lingvam germanicam verterem et iuris publici facerem, non ob in hac historia contentas obscoenitates, quae animo meo renituntur, quod omnibus, qui me noscunt, comprobatum est et, quia mundo omnia munda: — sed propter moralem usum, multas pulchritudines poeticas et admixtas res gestas historicas, quas quisque absque negotio inveniet.

Quanta alacritate exceptum perlegebam hunc librum,

Dii boni! et meapte helluo librorum quam voracissimus et iucunditate legendi velut abreptus. Itaque, cum facile in animum meum induxissem, quod mihi moestissimo, nonnihil levaminis adtulerat, eunden aliis hominibus medelam admovere posse, seiunctum a caetera Aeneae operum mole libellum, iuris publici facere intendi.

Non erit superfluum hic allegare verba Francisci Poggii: „facessant ab huius libri lectione, qui nimis rigidi censores, aut acres existimatores rerum existunt. A facetis enim et humanis legi cupio. Quod si rusticiores erunt, non recuso, quin sentiant quod volunt, modo scriptorem ne culpent, qui ad levationem animi haec et ad ingenii exercitium scripsit.“

Libro huic, suo tempore, magna erat fama, quem *matronae, quae tunc adhuc intellexere lingvam latinam, nunquam dimisere ex manibus*, praesertim quia innotuerat, sub Euryali nomine, tunc temporis iam omnipotentem cancellarium caesareum, Casparum Schlick latere.

Attamen, postquam Aeneas noster, sub nomine Pii II. rem publicam christianam regere coepit, liber hic nullam illi amplius laetitiam praebuit. Interdixit omnibus, ne quis hunc librum in possessione sua retineret, sub comminatione mulctae ducentorum aureorum. Ubicunque hic liber inveniebatur, igni mandabatur. — In litteris, cuidam *Carolo Cypriaco* inscriptis, (epist. Hopp. 395.) ipse contra opus suum dixit; quas litteras adfinem huius operis, inter alias Aeneae epistolas selectas, acutas, adiungo. *His ex epistolis intelligi potest,* quomodo Aeneas Sylvius levis mulierosus, progrediente aetate viribus exhaustus, mulierum osor et denique morum praeceptor evaserit. (Le diable étant vieux se fit érmite.) In posterioris generis epistolis levitas, dolor, desiderium quoque enitent, *se talium rerum amplius participem esse non posse.*

Quam dilecta omnibus fuerit haec historia, ex eo quoque apparet, quod nullum Aeneae operum toties describebatur et manu scripta huius historiae exempla, (codices) quam plurima existant. Eiusmodi codex, *Béldianus* dictus, quondam celeberrimi nostrorum auctorum, Francisci *Toldy* erat. Sed ubi exstat? Nemo, ne filius quidem eius, mihi poterat dicere.

Occasione expositionis nostrae in memoriam eius, quod

maiores nostri terram hanc ante annos mille occupaverint, habitae, codicem hunc Béldianum reperi in expositionis historicae aevi antiqui et medii armariolo (vitrina) quinquagesimo, sub numero millesimo nongentesimo octogesimo et lectionum varietates ipse, in re praesenti exscripsi, benevolentia magnificorum dominorum Belae Czobor et Ioannis Szendrey, antistitum expositionis historicae, quibus hic grati animi significationem effero.

Est hic liber manu scriptus in charta, formae quam dicimus VIII. bene legibilis; sed proh dolor! quinta circiter textus pars, ad calcem opusculi, deest et cera codicis extrema ita ad finem est perducta, ac si scriba plura coram se non habuisset.

Codex hic nunc est bibliothecae archiepiscopalis Agriensis et index eius sequentia nobis monstrat:

I. Chronica Marci de gestis Hungarorum. (Eadem, quae codice Viennensi picto continentur) pag. 1—118.

II. Tractatus de diversis impressionibus aeris. 1473. pag. 119—133.

III. Remedium contra pestem. pag. 134.

IV. Galiphus. pag. 135.

V. Marcalphus. (Disputatio cum Salomone rege. Typis expressa in: „epistolae obscurorum virorum. Francof. ad Moen. 1643. pag. 575. seqq.) pag. 136–149.

VI. Epistolae Aeneae Sylvii. 1.) Ioanni Carvajal. (Edit. Hopp. 72a. 2.) eidem de die eadem, 20. Maii 1444. „Venit ad me nuntius tuus & c“ quam, prout et sequentem, nec in Hoppero, nec in: „Archiv für Kunde Österreichischer Geschichts-Quellen“ t. XVI. in quo doctissimus Georgius Voigt, cuius iam superius mentionem feci, Aeneae Sylvii epistolas, quas ante electionem suam in summum pontificem scripserat, ordine chronologico nobis proponit, — reperire potui.[1]) — 3.) Iulio[2]) Cardin. S. Angeli, de die 24. Maii 1444. „Eram dubius quid causae foret & c. — 4.) Francisco de Suste, (Fuste, ed. Hop. ep. 21a.) pag 143—150. Denique 5.) „Magnifico et generoso militi, domino Gaspar Slyk“ & c. (historia nostra de duobus amantibus) p. 150—173. —

---

[1]) Sunt in editione Norimb. 1496. Kobergeri sub num. 167; 169. vide pag. XVI. — [2] Iuliano.

VII. Sub inscriptione: „varia“, pag. 174. seq 1.) regulae variae: 2. monitum senibus; 3.) de laude Ioannis de Hunyad; 4.) monitum ad sacerdotes. A calce huius ultimi legi potest: *„omnia hec scripta temperi Mattie Regis sunt.“*

VIII. Kalendarium A. 1458. usque 1496.

Codex hic peior est quam *codex Gervasii*, *(Gyarphas)* de quo inferius tractabo: multo plura habet menda et lacunas: propinquus autem proximus codici Gervasii.

Requirendo et pervestigando manu scriptum codicem Béldianum, inveni in bibliotheca universitatis nostrae Budapestinensis, inter codices manuscriptos saeculi XV. sub numero nonagesimo nono, codicem chartaceum, formae quam dicimus octavae. In lectionum varietate signatus est littera „C“

A capite codicis huius usque ad folium octogesimum nonum inscripti sunt Tibulli elegiarum libri III; a folio nonagesimo usque ad folium centesimum vigesimum occurrit historia nostra „de duobus amantibus.“ quae sic inchoatur:

„Incipiunt epistole Enee Silvii Serenissimi domini Friderici Romanorum regis secretarii.

„Magnifico et generoso militi, etc.“

A calce huius historiae manu eadem scriptum est:

„Per Gyarphas[1]) in Manthua, tempore diete,[2]) quam indixerat Sanctissimus dominus noster Pius papa II. fieri contra Turcas. Quam prefatam epistolam dum adhuc fuerat consiliarius Friderici imperatoris ediderat vocabaturque pro tunc Eneas Silvinus. Anno Domini M°IIII° sexagesimo[3]) et epistola prescripta sunt de duobus amantibus. Rogaveratque eundem Eneam Siluium poetam quidam consanguineus suus senensis nomine Marianus ut ei faceret epistolam de duobus amantibus. Qui fecit modo prescripto. Ihesus Christus.“

Non sunt autem in codice hoc epistolae aliae, sed a folio 122. usque ad folium 172: „Liber *Kalilae et Dimnae*, alias directorium humanae vitae,“ anepigraphus. Incipit: „Husrois Persarum qui dicitur Misaranaus filius etc.“ Verisimilliter habe-

---

[1]) h. e. Gervasium, quapropter codicem hunc *Gervasii* appello. — [2]) A 26. Sept. A. 1459. usque 19. Ianuarii a. 1460. [3]) tunc codex hic scribebatur.

mus hic versionem latinam Ioannis a Capua. (1263=1278) ex translatione hebraica textus in *lingva Pehlewi* scripti. Vide: Landau, die Quellen des Decameron, pag. 13—17' et tab. A:

Insunt codici huic loci multi negligentia, aut inscitia librarii corrupti; plerisque autem his locis, ni fallor, manu eadem, lectio bona, aut priore melior, superscripta est, sicut in lectionum varietate demonstravi. Praebet nobis autem codex hic sermonis sinceritatem optimam; cognatus est codicibus V. a. et V. b.

Et haec quidem in patria nactus subsidia sum. Non tamen putavi iis adquiescendum. sed, quum scirem Vindobonae in bibliotheca aulica manu scriptos codices esse duos, quorum superius (pag. 9) memini: non quievi antequam frugem inde in hanc messem transportaverim. Insigni ergo bibliothecae illius praefecti liberalitate factum est, ut codices illi palatini, sub numeris 3148 et 3205. intercedente doctissimo Augusto Heller, qui bibliothecae nostrae Academiae praeest, huc mitterentur.

Codex 3205. (V. b.) qui mihi prius ad manus venit, est chartaceus, formae sic dictae IV. minoris, perpulchre in membranam ligatus, habet inscriptionem: „Ms Ambras 443. — A folio primo usque 60. v. in se continet: „Ciceron. ad Herennium rhetoricorum libri;" cuius operis calci subscriptum est: „Explicit rethorica nova Tully Marci Ciceronis anno 1468." [1]) Dein usque fol. 81. v. historia nostra continetur.

Codex hic plura habet et ei plura desunt, quam quae in codicibus Be (Béldiano) et C. (Gervasii) inveniuntur et tamen codex C. cum Vindobonensibus habet aliqualem propinquitatem. Quae sit huius propinquitatis ratio, inferius demonstrare intendo, sed penitus cognoscere non potui. Hoc, sicut et fontes, unde Aeneas Sylvius hauriebat. *plene* indagandos, *cum mihi neque tempus, neque vires suppeterent, hoc negotii doctioribus et natu minoribus relinquendum duxi.* Perspicnum autem habeo, me hac in re sufficientia praestitisse, quod et omnibus, qui lectiones varias, quas huicce operi adieci, perlustrare superfluum non censuerint, in promptu esse videbitur. Veniam quoque peto, *stilum meum non esse Ciceronianum; do enim, quae possideo.*

Manu scriptum hoc opus cum codice V. a. cognatum, videtur

---

[1]) hic codex ergo octo annis iunior codice Gervasii.

ex eodem archetypo descriptum; mendis plenum est, peiusque quam Be. et C.

Denique codex Vindobonensis 3148. (V. a.) est formae IV. maioris, chartaceus, cuius litterae initiales iam coloribus variis, iam minio inscriptae sunt; legibilior quam V. b. sed foedissime depravatus; ope eius tamen, sicut et reliquorum codicum, locos obscuros dilucidavi.

Unicus superest locus qui tantum codicibus V. a, V b, et C. est communis. Loco verborum: „tum dormitum ibimus," quae Incunabula inferius memorata, *Incun. Hain 160; Cod. Bamberg. M. II.* 12. fol. 73. v *H.* et *Br.*[1]) habent, legitur in *V. a.*: tum dormire iniiciamus auresque otiose poterimus; in *V. b.* legitur: ne fures subeant, tum tute dormire intramus in conclave. *C.* autem habet: dum dormire intramus utramque aurem ociose poterimus. — Dilucidatur nobis locus hic ex *Cod. lat. Monacensi* 216. fol. 352. r et *Bamberg. N. I.* 10. fol. 209. v. qui habent: „ne fures subeant, tum tute dormire putamus;" et vel maxime ex *Cod. Bamberg.* B. III. 41. fol. 183. v in quo legitur: „tum dormire in utramvis aurem otiose poterimus." Conf. **Ter, Heaut.** II. 3; 101. (vers. 342.)

Hoc e loco evidenter elucet Codices *V. a., C.* et *Bamberg. B. III. 41.* eandem habere originem.

Index codicis V. a:

In suprema indicis folii parte legitur:

„Iste liber mo S. Dorothee v. Wienne."

Dein:

Hic continentur orationes M. Tully Ciceronis
pro pompeio Imperatore
pro A. Licinio Archia poeta
pro Q. Ligario
pro Deyotharo rege
pro Milone
pro S. Plancio
pro P. Silla
de Coniuratione Catheline et conspirato
pro Seipso
pro Seipso pridie quam iret in exilium
Item pro Seipso ad Ro Po.

[1]) Hopper et Braccius.

pro Seipso ad pontifices et Sacerdotes
pro M. Cellio
pro L. Cornelio balbo
Invectiva in L Pisonem
pro Gaio.

Manus recentior : Orationes Ciceronis. *Versa pagina :* Liber doctoris Nicolai Schult canci Wratislaviens.

Reverends p. dnus Iohannes epus Wratislaviensis hunc librum cum multis aliis monasterio cancor regularium Scte Dorothee Wienne ex relictis doctoris Nicolai Sculteti canci et cantoris Wratis. ibid. sepulti assignari et illuc traduci curavit a. 1488.

Infra textum paginae primae sunt arma N.(icol) S.(chult.)

Post Ciceronis orationes (fol. 1—88,) sunt folia 89—95 alba; fol. 96: „historia pulcra. Leon. Aretinus Bindactio Ricasolano salutem,“ Fabulam Boccaccii de Tancredo et eius filia Sigismunda, a se latinam factam, mittit XV. Ian. 1438. „Tancredus fuit princeps Salernitanus“ &c.

Mentionem facit in his litteris, Petrarcam Boccaccii: „Marchionis vig- montiferrati“ fabulam in latinum vertisse sermonem.

Folii 98. versa in pagina incipit historia nostra et usque ad finem folii 113. producitur.

Orationes Ciceronis alia manu scriptae esse videntur quam historiae duae ultimae, quae in indice non occurrunt et certe post translationem huius libri Vindobonam, hoc est a. 1488. — Margo foliorum, quibus hae duae inscriptae sunt historiae, utraque in textus parte latior, supra et infra textum autem angustior quam circa textum Ciceronis. Illius quinquaginta quinque, huius quadraginta quattuor numeravi versus in singula pagina — et tamen litterae maiusculae totius libri ab eadem manu penna pictae esse videntur. Textus Ciceronis, ni fallor, calamo, historiae autem ambae penna scriptae sunt.

Superest, ut etiam de *incunabulis,* quae mihi ad manus venerant, quaedam dicam.

Ante annum 1500! secundum repertorium bibliagraphicum Hainii, historia nostra quinquies et tricies typis separatim mandabatur et quidem: viginti septem editiones latinae, duae

versiones germanicae, quarum una a Nicolao Weyl (a Wile) de qua superius (p. 8.) tractatur; cui Weylio Aeneas epistolam 119. (edit. Hop) inscripsit: praeterea tres in lingva eccrusca, tres in gallica.


Perlustrando bibliothecam Academiae nostrae inveni historiam hanc de duobus amantibus separatim Coloniae per Vlricum Zell, ante annum 1471. (numerus hic ligaturae inscriptus est) typis expressam, in forma quae nobis IVa audit et obtinuit, ut incunabulum, apud Hain numerum 213. In omnibus fere locis correspondet incunabulo meo, (Hain 215.) cuius nec editoris nomen, nec impressionis locus aut annus notus est. De hoc incunabulo iam superius pag. VI. retuli; praebet nobis multo sinceriorem textum.

Incunabula haec ex eodem archetypi exemplo duxisse originem videntur, quod tamen non fuit idem, ex quo codices superius memorati sunt descripti, sed ex interpolato, magisque polito. Incunabulum meum antiquius est et multo plus corruptum ut illud numeri 213.

In eadem Academiae bibliotheca reconditae sunt Aeneae Sylvii epistolae familiares, formae quam dicimus in folio, impressae Norimbergae anno 1481. per Antonium Koberger. (Hain 151.) Hanc editionem verisimillime Hopperus in suam suscepit, quia haudquaquam, vel potius dicam admodum paucis in locis discrepant et menda editionis Norimbergensis et plura alia in Hoppero occurrunt. Incumabulum hoc cum codicibus V. a. b. nonnunquam etiam cum Be. et C. habet propinquitatem et nobis ne unam qnidem lectionem praebet meliorem.

Codicum et incunabulorum hic fere est nexus:

Ba. Bambergensis B. III. 41.
V. a. Cod. Vindobon. 3148.
V. b. „ „ 3205.
B. e. „ Béldianus
C. „ Gervasii
I. 1. Incunab. 215.
I. 2. „ 213.
{I. 3. „ 151.
{H. Hopperus.



De historiae nostrae translationibus respective retractationibus hungaricis.

Historiae huius de duobus amantibus, (Euryalo et Lucretia) gaudemus translationibus, respective retractionibus *hungaricis* duabus. Vna harum, ab *anonymo* quodam poeta hungarico, anno 1577. in oppido *Sáros-Patak* edita. Secundum opinionem doctissimi viri *Aaronis Szilády* et aliorum eruditorum, *Valentinum Balassa de Ggarmat et Kékkő*, qui anno 1551. natus, anno 1594. in oppugnanda arce Strigoniensi, accepto vulnere, morte defunctus est, auctorem huius versionis laudare licet. Videsis plura desuper in memorati A. Szilády maxima cum diligentia scripta introductione in: „Gyarmati Balassi Bálint költeményei," pag. 335. seqq. Budapest. 1879. quod opus, cui et retractatio illa inest, edidit societas historica hungarica.

Sed opinio viri reverendissimi Aaronis Szilády, translationem. sive retractationem hanc, versibus hungaricis inclusam, opus Valentini Balassae esse, verisimillime caduca est, quia vir doctissimus *Ioannes Illésy,* in ephemeridibus: „Irodalomtörténeti közlemények," (Communicationes ex historia litterarum) Budapest. 1895. pag. 192. seqq. demonstrat. quod et vir eruditissimus, minor natu *Iulius Mitrovits*, in iisdem ephemeridibus. 1896. pag. 16 seqq. approbat: Valentinum Balassa tunc temporis, (1577.) Patakini non degisse. eumque auctorem huius operis esse non potuisse, sed verisimile esse, lyricinem quemdam hospitem, quorum ea aetate multi adhuc per singulas arces errabant et. in gratiarum actionem pro collatis in se hospitiis atque beneficiis. — arcis domino inserviebant. — historiam nostram in arce familiae Dobó, Patakini, composuisse.

Dividit anonymus Patakiensis historiam hanc, quae universim ex mille quingentis sex versibus constat, in partes quinque.

Viginti quatuor versibus, historiae nostrae, ut introductione, praemissis, versu vigesimo quinto eam inchoat imperatoris Sigismundi ingressu in civitatem Senas. Pars prima finitur versu 213.

Pars secunda inchoatur sequente disticho:

„Non potuere diu validum cohibere furorem,
„Prodidit incensas charta manusque faces," et finitur versu 501.

Pars III. in hunc modum instituta est:

„Quam vir, quam mater, quam ianua firma tenebat,"
„Artibus est tandem foemina victa suis" et versu 855. ad finem adducitur.

Pars IV. his incipit versibus:

„Alter amans Pacorus erat, quem foemina sprevit,
„Euryalo gratum illa praebuit thorum" et finem capit versu 1284.

Pars V. sic inchoatur:

„Postquam nulla datur coeundi copia, nuptam
„Artibus est tandem foemina victa suis."

Inveni autem in bibliotheca Academiae hungaricae editionem huius retractationis in forma IV. absque indice, antiqnissimam. in qua loco huius ultimi pentamentri legitur:

„Deserit Euryalus. Candide illa rogat.“ Pentameter hicce non autem superior, potius huc pertinet, quod omni erudito perspicuum esse videbitur. Haec mea opinio a doctissimo Aarone Szilády quoque, in litteris, quas mihi Halasini, kalendis Novembribus a. 1895. inscripit, comprobatur.

Historia ipsa, prout eam Aeneas Sylvius ad finem perducit, anonymi versu 1464. absolvitur. Versibus 1465—1506. medela periculosae cupiditati proponitur.

Historia haec multis, imo plurimis in locis, de verbo ad verbum in hungaricam versa est lingvam. Szilády quatour huius Anonymi operis editionum mentionem facit, quarum tres priores saeculo XVI. absque anni et loci, — quarta autem Leutschovii saeculo XVIII. absque anni commemoratione, iuris publici factae sunt.

Alter qui historiam hanc in versus hungaricos transtulit, vel potius retractavit, est *Andreas Poóts de Csenkeszfa.* Natus est Edelinii inter annos 1740. et 1747. patre eius ibidem pastoris ecclesiae evengelicae munere fungente. Mors eum de hac vita anno 1812. Vngvarini surripuit.

Posito, Balassam esse auctorem prius commemoratae versionis, tunc Poótsio multis in rebus erat compar Vterque horum protestans natus. fidem amplexus est catholicam; uterque Sáros-Patakini commorati; uterque in statu matrimonii infelices; uxores eorum adulterium iniere; hanc ob causam mente turbati, perambulant multas terras. Denique uterque poeta, eandem historiam ex latina in hungaricam vertit lingvam; uterque incarceratus est.

Caetera de Andrea Poótsio nos edocet Iulii Mitrovits tractatus in commentariis: „Protestans szemle,“ Budapest. 1890. fasc. III.

Poóts. quod textum adtinet latinum, liberrime se gessit, tantum filum quasi et hinc inde ideam aliqualem fabulae in poema suum insumens, caetera eius propria excogitatio.

Constat autem poema hoc versibus 4294; plerumque quatuor versuum strophis. Quae Aeneas in versu uno, haec nobis Poóts pluribus saepe enarrat in strophis. Modus eius loquendi nonnunquam rudis, ac si in diversorio esset, praesertim si consideraverimus. opus hoc. mandante libera baronissa quadam, exortum et duabus nobilibus adulescentulis dedicatum esse. „Non est verecundior Ovidio; cum voluptate commoratur inter momenta lasciva circumstantiarum datarum. indulgentia ea pertractat, iniuriam semper afferens pudori. Contra, sermo Anonymi cultus, caret omnino agrestibus leporibus Poótsii locosque omnes captiosi generis. castitate quadam, polite eloquitur.“ Sunt verba Toldyi..

Plura de his duobus poetis tractavi in nondum edito opere meo: „Aeneas Sylvius, Entlehnungen in der Novelle: „Euryalus und Lucretia“ und ihre ungarischen Bearbeitungen.“ Operis huius summarium lucem vidit in: „Zeitschrift für vergleichende Litteraturgeschichte.“ Weimar. 1896. pag. 491—503.

Non possum hic praetermittere, quin duorum mentionem faciam tractatuum, qui de Anonymo et de Poótsio agunt. Prioris, qui in commentariis: „Egyetemi philologiai közlöny," Budapest. 1890. pag. 645. seqq. et pag. 769. seqq. iuris publici factus est, auctorem habet *Bartholomaeum Matirko* minorem, qui tractatum hunc dein Leutschovii a. 1891. ut disputationem inauguralem edidit.

In laudati „Philologiai közlöny" pag. 645. versu 3. dicit Aeneam Senis natum esse; dein ad calcem paginae eiusdem dicit:

„Quare Franciscus Toldy," (de quo superius pag. X. et quem inter praecipuos litterarum assertores numeramus,) „opusculum hoc," (de duobus amantibus) „fabulam romanensem versibus inclusam dicat, vix argumentis confirmari posse." Ecce discipulus supra magistrum! Prout Anonymi, sic et Poótsii opus versibus inclusum est et operi Aeneae versus quantum satis insunt. Ergo?

Pag. 648. v. 22. legitur: „quod honores," loco: „quot."

Ibidem v. 26. „ad Cophorum." Quid hoc? Videtur Matirko tantum editionem Hopperi legisse, quia in codice Béldiano, quem qag. 645. commemorat, ut et in codice Gervasii, quem non noscit, „tophorum" stat. Neuter, nec Hopperus, nec Matirko recordantur, medio aevo litteram T in forma „𝔗" scribi solitam esse et sic facile loco: „tophorum," „cophorum" legebatur. Neuter cupidus fuit, quid nam per vocem: „cophorum" velit sibi significari. Quoniam incunabulum meum „tophorum," Hopperus autem: „Cophorum" habet, scripsi Senas. Vir doctissimus Dr. Iosephus Dabala, praepositus lyceo-gymnasii Senensis, qui in praesentia Vtini simili fungitur munere, libentissime me edocuit, legendum esse: „tophorum," (genitiv. plur. a: „tophus") quia porta illa hodiedum: „la porta dei tuffi," (Tuffsteinthor) audit.

Pag 649. v. 2. „Paridem perquietem," loco: „per quietem."

Ibidem v. 7. „Ortesiához," iterum ex Hoppero, (Ortesii filia!) loco: „Hortensia-hoz."

Pag. 650. v. 13. „perflens," loco: „perflent."

Pag. 651. v. 29. „Maecenerates." Hopper habet: „Macenerates" quod tamen aures Matirkonis modicum laeserat, ergo: Maecenerates. Anno 1571. *eiusmodi typographi* mendum est excusabile; sed nostra aetate hic nil excusationis habet.

Pag. 652 v. 19—23. Non Euryalus Lucretiae crucem misit, sed vice versa.

Pag. 653. v. 21. „de auratis foliis" loco: „deauratis."

Ibidem v. 32. „cum" loco: „anu."

Pag. 654. v. 5. dicit: Anonymi versus 910—912. omnino huius esse; sed legesis rogo lector benevole Hop. pag. 636. v. 48. et huius editionis pag. 34. v. 15. „non facile custoditur, quod a pluribus amatur, vel impugnatur."

Ibidem v. 22. „minutalem" loco: „minutal."

Pag. 655. v. 2. „Sosias" loco „Pandalus."

Pag. 774. v. 12. narrat, Pótsium cantare, Lucretiam bombycibus

occupatam fuisse, Aeneam nostrum autem hac de re nihil referre. Sed inspicias, rogo Hopp. 633. v. 31. et 51. huius editionis pag. 26. v. 9. et p. 27. v. 18. „solam Lucretiam, serico intentam, videt;“ et: „ad sericum redit.“ Vtique sericum non est bombyx; sed poeta haec duo non magno discrimine separat.

Pag. 776. v. 7. „*prolixae barbae* strepitus (? ?) forsitan illam excitavit.“ Quomodo barbae strepitus, etsi prolixae, potest excitare dormientem? Hic legi debet: „*prolixae turbae.*“

Meminit Matirko, Anonymum de hoc strepitu sapienter tacere, forsitan ob motivi debilitatem. Non est sic. Sententia mea haec est: Anonymus non potuit intelligere quomodo strepitus barbae aliquem ex somno excitare posset: propterea (certe habuit etiam textum depravatum sicut et Poóts) locum hunc vertit: „hinnitus equorum tuorum.“ Poóts autem facetiarum lepore dicit: „a Felséged szakállába lomoz egy más a meghallott álmába; h. e. „forsan in maiestatis tuae barba aliquid perreptat, quod (Lucretia) audivit in somnio suo.“ Quis non ridet? Quare Matirko de barba prolixa nihil loquitur?

Pag. 779. v. 1. „quum morit amor,“ loco „movit.“

Denique pagina eadem. v. 21: „collectum frenum volvebat sub naribus, (comma!!!) ignem densa iuba“ etc. Quo „ignem“ pertineat, incertum manet. Noli mirari lector benevole! In Vergilii Georg. III. 79—88 invenies: „collectumque fremens,“ (non: „frenum;“ iterum Hopperum sequitur) „volvit sub naribus ignem. Densa iuba“ etc. Vtique Matirko ne somniavit quidem, Aeneam Sylvium excerpsisse auctores classicos.

Tractatum alterum de Anonymo et de Poótsio, qui per ludum ex ingenua Aeneae prosa historiam nostram ad hungarici carminis leges reduxere, — scripsit Iulius Mitrovits, de quo superius *pag. XVII.* rettuli, multo laudabiliorem, aptiorem ad alliciendos legentium animos et magis doctum; quem in commentariis: „Irodalomtörténeti közlemények.“ Budapest. 1896. pag. 16. seqq. nobiscum comminicavit.

Pag. 17. v. 17. et 18. dicit: *Anonymum* nostrum ad locum Aeneae ibi citatum *addere:* „ha senki tenéked örződ nem volna is, tudja Isten dolgodat;“ h. e. „etsi nemo esset custos tuus, factum tuum Deus noscit.“ Sed et Aeneas fere eadem dicit: „atque ut celes omnia, qui videt omnia, celare non potes Deum.“ Vide Hopperum pag. 626. v. 32. 33. et huius editionis pag. 10. v. 11.

Pag. 21. de Poótsio dicit, eum natum esse die 31. Decembris; sed in „Protestans szemle“ 1890. fasc. III. tradit, diem eius natalem esse pridie Kalendas Decembres; quid ergo verum?

Sed redeamus ad Aeneam.

Vt vero Aeneas Sylvius haud spernendam, instaurandis litteris aetate, suam navaverat operam, haud absque re futurum esse putabam compendiariam facetissimi viri vitam praefigere, sed propter certum quoniam, rogo: placeat legere Platinam, Stellam, Mornayum, ipsius

Aeneae Sylvii epistolas edit. Hopperi 188. 189. 384. et praesertim Voigtii opus superius laudatum.

Platina de Aenea dicit: „*Sibi*, (Pio) *sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias maiori restituendas videri.*"

Pii nomen assumpsit ludendo cum Vergilii Aen. I. 220. 305. 378. 379. „sum pius Aeneas, fama super Aethera notus" et Ovid. Fast. I. 527.

Voigtii opus toties iam commemoratum et vel potius eiusdem auctoris: „Die Wiederbelebung des classischen Alterthums, oder das erste Jahrhundert des Humanismus," Antonius Poór canonicus, teste: „Philologiai közlöny" 1883 fasc. I. non tam excerpsit, quam potius in lingvam hungaricam vertit. in: „Budapesti szemle" t. XVI—XXI. iuris publici fecit et in opusculum suum: Aeneas Sylvius. II. Pius Papa." (edit. soc. S Stephani t. 33.) suscepit; in huius operis cap. VI. Aeneae necessitudines et coniunctiones, quibus reges. proceres et praesules regni Hungariae adtigit, tractantur. *Poór* in operis sui pag. 130. commemorat: *Sigismundum* imperatorem poetarum *Beccadellii*, *Hermaphroditi* et *Cambiatorei* tempora lauro phoebea cinxisse. Quis nescit „*Hermaphroditum*" *Beccadellii* opus eroticum esse?

Aeneas in rebus Hungaricis et contra Turcos scripsit epistolas: (edit. Hopperi) 1. 13. 37. 41. 44. 51. „Vngari, qui prius superbissimi erant, nunc paullulum humiliati etc." Porro ep. 52. de clade ad Varnam. 54. 63. 78. 81. 86. 89. 93. 95. 98. 101. 108. 118. 127. 131. oratio in conventu francofurtensi contra Turcos. 135. 140. 142. 146. 147. 153. 155. 156. 162. 191. 198. 245. 249. 253. 279. 282. 305. 323. 324. de morte Ladislai Posthumi; 329. 331. 336. 338. 339. 340. 353. 362. 365. 370. 371. 377. Davidis Imperatoris Trapezuntis, lectu dignam. 396. Mahometi Sultano; 397. oratio in congressu mantuano; 412. bulla in Turcos; (stat post 397.) 398. oratio ad Calixtum III; 399. oratio in consistorio pontificio Romae pro Ladislao rege praesente; 402. 409. et alias, quae in Hopperi editione desiderantur.

Praeter commemoratas epistolas et orationes hic enumerandus est eius „tractatus de liberorum educatione," quem Aeneas, tunc episcopus tergestinus, mense Februario anni 1450. Ladislao Posthumo regi scripsit et studium singulare in regem iuvenem eminentissime demonstravit. Tractatus hic, in lingvam hungaricam versus, prodiit Budapestini ex societate Franklin.

Qui autem de Aeneae Pii animi ingeniique indole, natura, moribus, per omnia vult edoceri, legat eius *epistolas eroticas*: 15. 45. 50. 82. 83. 92. 106. et secundum Voigtii numeri ordine notationem 130. (de nato in Scotia filio refert.) — Epistola haec in: „Archiv für Kunde österreichischer Geschichts-Quellen" t. XVI. p. 358 typis mandata est) Epistolae *hae in fine* huius operis inveniuntur Porro: 26. 41 97. 112—114. quarum tres postremae historiam nostram narrant; denique 122. 123. — *Benevolentiam captantes*: 17. 20. 30. 31. 34. 47. 48. 50. 53. 58. 61. 125. 161. 166. 180. 183. 188. 228. 231. 252. 254—256. 287. 305. 315. 345. 351. 352. 359. 366. 381. 383. et omnes Casparo Schlick

scriptas. — *De praepositura mediolanensi* 48. 52. 53. *De praepositura vormatiensi* 321. 355. 356. Propter hanc praeposituram et alia in Germania per Aeneam, aliosque Cardinales et episcopos Italos adepta praebenda etc. inter Germanos exorti murmures sedandi causa, scripsit epistolas: 334. 335. 337. 338. 356. 369. 371.

Episcopatus variniensis adipiscendi causa scripsit epistolas: 260. 275. 278 - 281. 283—285. 296—300. 302. 313. 314. 317. 325. 326. 328. 333. 347.

Pro nepotibus scripsit epistolas 347. 359.

Epistola 347. nos de Simonia Romae valente edocet.

In epistolis 25. et 29 dissolvit argumenta pro parte Eugenii facta etc.

In epistola 353. palatium budense, (per me in lingvam hungaricam versa, legi potest in: „Budapesti Hirlap" diei 30. Aprilis anni 1899.) in 165. autem describitur urbs Vienna in Austria et eius incolae. Epistola haec posterior, versa in lingvam germanicam, invenitur in: „Wien im Lichte verschiedener Jahrhunderte ;" in fasc. IV. Volksbibliothek für Kunst und Wissenschaft, edidit Rud. Bergner; Lipsiae, Herman. Bruckner.

Superest adhuc, ut viris illis, qui me in opusculo hoc adiuvarunt et suffulsere, quibus adhuc vir praestantissimus *Fischer*, qui bibliothecae bambergensi praeest, magna cum laude adnumerandus est, immortales agam gratias; agam inquam dum vivam, nam relaturum me affirmare non valeo, sed hoc faciam, quod mihi reliqum est: amabo, colam, venerabor.

Opusculo huic liberum a negotiis tempus meum, oculorum lumen, auram liberam. pulmonibus meis debilibus adeo necessariam et profundendo quod ad suffulciendas corporis vires satis in usum est pecuniae pro libris, qui ad rem hanc pertinent: largitus sum. Quoties nox iam transcenderat medium poli axem! quoties frixi in musaeo meo non celefacto!

Codices, incunabula, editiones, ego ipse contuli. Si ergo, lector benevole, hinc inde, errorem observaveris, des veniam. Vale!

Aeneae Sylvii. Senensis poetae laureati, viri clarissimi, de duobus amantibus historia, ad Casparum Schlick militem, ut eam legat, feliciter incipit.

Dedicatio.

Magnifico et generoso militi, domino Caspari Schlick, domino novi castri, caesareo cancellario ac terrarum Egrae Cubitique capitaneo: domino suo praecipuo, Aeneas Sylvius poeta, imperialisque secretarius, salutem plurimam dicit et se reddit commendatum.

Marianus Sozinus Senensis, conterraneus meus, vir tum mitis ingenii, tum litterarum multarum, cuius adhuc similem visurusne sim, haereo: duos amantes sibi ut describerem, rogatum me his diebus fecit; nec referre dixit, rem veram agerem, an more poetico fingerem.

Scis qui vir sit?[1]) Mirabere si tibi hominem expendam. Nihil ei, praeter formam, natura invidit[2]) Homuncio est. Nasci ex familia mea debuit, (Piccolomini) cui parvorum hominum est cognomen. Vir est eloquens, iuris utriusque consultus; historias omnes novit; poeticae peritus est. Carmen facit et latinum et tuscum; philosophiae tam scitus est quam Plato; geometer quasi Boethius; in numeris Macrobio similis; nullum instrumentum ignorat musicum; agriculturam quasi Vergilius novit; nihil civile ignotum viro. Dum iuvenili adhuc stabant in corpore vires,[3]) alter Entellus[4]) erat luctandi magister. Non cursu, non saltu, non caestu poterat superari

Pretiosiora sunt interdum parvi corporis vascula: ut gemmae, lapillique testantur. Nec ab re fuerit et illud in hunc referre, quod de Tydeo scribit Statius:[5])

„Maior in exiguo regnabat corpore virtus"

Dii formam huic homini[6]) et immortalitatem si dedissent: is etiam erat deus. Sed nemo sortitus est omnia inter mortales. Nullum adhuc novi, cui pauciora, quam huic defuerint. Quid? quae minutissima etiam didicit. Quasi alter Apelles, sic pingit. Nihil emendatius, nihil lucidius, quam sua manu scripti codices. Sculpit ut Praxiteles, nec medicinae ignarus est. Adde virtutes morales, quae alios regunt ducuntque.

Novi meis diebus plerosque studiis litterarum deditos, disciplinis qui admodum abundabant. sed hi nihil civilitatis habebant, nec rem publicam, nec domesticam regere norant. — Stupuit Paglarensis et furti villicum accusavit, qui suem fetam undecim porcellos, asinam unam duntaxat enixam pullum retulerat. Bonitius Mediolanensis gravidum se putavit, diuque partum veritus est, quia se uxor adscendit. Hi tamen iuris maximum lumen habiti sunt.

In aliis praeterea vel fastum, vel avaritiam invenies; hic perliberalis est. Plena illi semper est domus honestis hospitibus. — Nulli adversus est; pupillos tuetur; aegros solatur; pauperibus subvenit; viduas iuvat: nulli indigenti deest. Vultus eius quasi socraticus,[7]) semper est idem. In adversis fortem animum praebet; nulla fortuna inflatur;

---

[1]) Ter. Adel. IV. 7; 5. — [2]) Ov. Her. XV. 31. — [3]) Verg. Aen. V. 475. — [4]) Verg. Aen. V. 387. — [5]) Theb. I. 417. — [6]) *Horat. Epi.* I. 4; 6. 7. — [7]) Cic. off. I. 26.

versutias, non ut exerceat, sed ut caveat, quaslibet novit: civibus dilectus est, peregrinis amatus; nulli odiosus est, nulli gravis.

At, homo tantarum virtutum, cur nunc rem leviusculum exigat? nescio. Id scio,[1]) nihil mihi illi negare, fas esse. Eum namque, dum Senis essem, unice dilexi; nec diminutus est amor, quamvis separatus sit. Is quoque, cum esset caeteris naturae dotibus praeditus, tamen hac maxime pollebat, ut nullius, erga se sterilem esse amorem sineret.

Huius ergo rogatus non censui respuendos, scripsique duorum amantium casus: nec finxi. Res enim acta est Senis, dum Sigismundus imperator ibi degeret. Tu etiam aderas et, si verum his auribus hausi,[2]) operam amori dedisti.[3]) Civitas Veneris est. Aiunt, qui te norant, vehementer quam arseris, quodque nemo te calidior fuerit. Nihil ibi amatorie gestum, te inscio, putant.

Ideo, historiam hanc ut legas, precor et an vera scripserim, videas; nec reminisci te pudeat, si quid huiusmodi nonnunquam evenerit tibi;[4]) homo enim fueras. Qui nunquam vere sensit amoris ignes, aut lapis est, aut bestia, Isse namque vel per deorum medullas, non latet, igneam favillam.[5]) Vale!

Praefatio.

Aeneas Sylvius poeta, imperialisque secretarius, salutem plurimam dicit Mariano Sozino, utriusque iuris interpreti et concivi suo.

Rem petis haud convenientem aetati meae, tuae vero et adversam et repugnantem. Quid enim est, quod vel me, iam pene quadragenarium, scribere, vel te quinquagenarium, de amore conveniat audire? Iuvenes animos res ista delectat et tenera corda deposcit. Senes autem tam idonei sunt amoris auditores, quam prudentiae iuvenes. Nec quidquam est senectute deformius, quae Venerem affectat sine viribus.[6]) Invenires tamen et aliquos senes amantes, — amatum vero nullum: nam et matronis et puellis est despectum senium. Nullius amore tenetur mulier, nisi quem viderit aetate florentem; siquid aliter audis, deceptio subest. Ego vero cognosco, amatorium scriptum mihi non convenire, qui iam meridiem praetergressus, in vesperum feror: sed non minus me scribere, quam te poscere dedecet. Ego debeo tibi morigerus esse; tu vide, quid postules. Nam, quanto es natu maturior,[7]) tanto aequius est, parere amicitiae legibus. Quas, si tua iustitia non veretur mandando infringere, nec stultitia[8]) mea timebit transgredi obediendo. Tua in me tot sunt beneficia, ut nil negare[9]) petitionum tuarum queam, etiamsi admixtum sit aliquid turpitudinis.

Parebo igitur petitioni tuae, iam decies multiplicatae: nec amplius

[1]) *Ter. Phor.* I. 2; 87. — [2]) Conf. Verg. Aen. IV. 359. — [3]) Ter. Heaut. I. 1; 58. — [4]) Ter. Heaut. III. 2; 40. 41. — [5]) Conf. Sen. Hip. 186—194. — [6]) Conf. Ovid. Amor. I. 9; 4. — *Mart. Epig. IV, 79; 9. 10. Iuv. X. 209.* — [7]) Verg. Ecl. V. 4. — [8]) Ter. Heaut. IV. 1; 33. — [9]) Mart. Epig. VIII. 76; 6.

negabo, quod tanto convicio postulas. Non tamen, ut ipse flagitas, fictor ero; nec poetae utemur tuba, dum licet vera referre. Quis enim tam nequam est, ut mentiri velit, cum se vero potest tueri?

Quia tu saepe amator fuisti, nec igne cares, vis tibi, ut duorum amantum historiam texam. Nequitia est, quae te non sinit esse senem.[1]) Ero morigerus cupiditati tuae et hanc ingvinis aegri canitiem[2]) prurire faciam; nec fingam, quando tanta est copia veri.

Quid enim est toto terrarum orbe amore communius? Quae civitas, quod oppidulum quae familia vacat exemplis? Quis tricesimum natus annum, amoris causa, nullum peregit facinus? Ego de me facio coniecturam,[3]) quem amor in mille pericula misit. Ago superis gratias, quod structas insidias milies fugi, felicior astro Martis[4]) quem Vulcanus, cum Venere iacentem, ferreo illaqueavit reticulo, deridendumque diis caeteris ostentavit.[5])

Sed alienos, quam meos, amores attingam, ne, dum vetusti cineres ignis evolvo, scintillam[6]) adhuc viventem reperiam. Referam autem mirum amorem, peneque incredibilem, quo duo amantes, ne dicam amentes,[7]) invicem exarsere. Nec vetustis, nec obliteratis[8]) utar exemplis, sed nostri temporis ardentes faces exponam. Nec troianos, nec babylonios, sed nostrae urbis amores audies; quamvis ex amantibus alter sub arctico natus fuerit coelo.

Forsitan et hinc sugere aliquid utilitatis licebit. Nam cum puella, quae in argumentum venit, amatore perdito, inter plorandum, moestam et indignantem exhalaverit animam, alter vero posthac nunquam verae laetitiae particeps fuerit: commonitio quaedam iuvenibus erit, his ut abstineant nugis. Audiant igitur adulescentulae et, hoc edoctae casu, videant, ne post amores iuvenum se eant perditum.

Instruit haec historia iuvenes, ne militiae se accingant amoris, quae plus fellis habet quam mellis;[9]) sed omissa lascivia, quae homines reddit insanos: virtutis incumbant studiis, quae possessorem sui sola beare petest.

In amore autem quot lateant mala, si quis aliunde nescit, hinc poterit scire.

Tu vale! et historiae, quam me cogis scribere, attentus auditor esto.

---

[1]) Mart. Epi. XI. 60; 4. — [2])Iuv. X. 207. 208. — [3]) Ter. Heaut. III. 3; 13. — [4]) Iuv. X. 313. 314. — [5]) Ov. Ars II. 580. 581. — [6]) Conf. Ov. Met. VII. 80. 81. Ars II. 440—442. — [7]) Ter. Andr. I. 3; 13. — [8]) Petron. c. 110. Edit. Buecheler. p. 75. v. 8. 9. — [9]) Conf. Plaut Cist. I. 1; 71. 72. Iuv. VI. 181.



Incipit historia de duobus amantibus.

Vrbem Senam, unde tibi et mihi origo est, intranti Sigismundo Caesari, quot honores impensi fuerint, iam ubique vulgatum est. Palatium illi apud sacellum[1]) sanctae Marthae, super vicum, qui ad tophorum ducit portam strictam, paratum fuit.

Huc, postquam caerimoniae peractae sunt, cum venisset Sigismundus: quatuor maritatas obviam habuit, nobilitate, forma, aetate, ornatuque pene pares. Non mortales, sed deas quisque putavit. — Si tres dundaxat fuissent, illae videri poterant, quas referunt, Paridem per quietem[2]) vidisse. Erat Sigismundus, licet grandaevus, in libidinem pronus, matronarum alloquiis admodum oblectabatur et femineis blanditiis gaudebat: nec svavius illi quidquam fuit, illustrium aspectu mulierum. Vt ergo has vidit, desiliens equo, inter manus earum exceptus est et, ad comites versus, ait:

„Similesne unquam his feminis vidistis? Ego dubius sum, an facies humanae sint, an angelici vultus; sunt coelestes certe."

Illae, oculos humi deiicientes,[3]) ut verecundiores fiunt, sic pulchriores redduntur. Sparso namque inter genas rubore, tales dabant ore colores,[4]) quales indicum ebur, ostro violatum, aut quales reddunt

[1]) Conf. Ter. Adel. IV. 2; 37. — [2]) Ovid. Her. XVI. 65. seq. XVII. 116. — [3]) Ov. Amor. III 6; 67. — [4]) Verg. Aen. XII. 65. seq.

alba, immixta purpureis rosis lilia. Praecipue tamen inter eas nitore Lucretia fulsit. Adolescentula nondum annos viginti nata, in familia Camillorum, praediviti viro Menelao nupta; indigno tamen,[1]) cui tantum decus domi serviret, sed digno, quem uxor deciperet et, sicut nos dicimus, cornutum quasi cervum redderet.

Statura mulieris eminentior reliquis. Comae illi copiosae et aureis laminis similes, quas, non more virginum retrofusas miserat, sed auro gemmisque incluserat. Frons alta, spatiique decentis, nulla intersecta ruga. Supercilia in arcum tensa, pilis paucis nigrisque, debito intervallo disiuncta. Oculi tanto nitore splendentes, ut, in solis modum, respicientium intuitus hebetarent. His illa et occidere, quos voluit, poterat et mortuos, cum libuisset, in vitam resumere. Nasus in filum directus, roseas genas aequali mensura disterminabat. Nihil his genis amabilius, nihil delectabilius visu; quae, cum mulier risit, in parvam utrimque dehiscebant foveam. Nemo has vidit, qui non cuperet osculari. Os parvum, decensque. Labia corallini coloris, ad morsum aptissima. Dentes parvuli et in ordinem positi, ex cristallo videbantur: per quos tremula lingva discurrens, non sermonem, sed harmoniam svavissimam movebat. Quid dicam menti speciem, aut gulae candorem?

Nihil in illo corpore non laudabile.[2]) Interioris formae indicium faciebat exterior.[3]) Nemo hanc aspexit, qui viro non invideret. Erant insuper in ore eius multae facetiae. Sermo is fuit, qualem rumor est, Gracchorum matrem habuisse Corneliam, sive Hortensii filiam.[4]) Nec svavius aliquid eius oratione, nec modestius fuit. Non ut pleraeque, tristi facie, honestatem ostendebat, sed alacri vultu modestiam. Non timida, non audax, sed, temperatum verecundiae metu, virilem animum in femineo corde gerebat.

Vestes illi multiplices erant. Non monilia. non fibulae, non baltei, non armillae deerant. Redimicula capitis mirifica. Multi uniones adamantesque, tum in digitis, tum in serto fuere. Non Helenam pulchriorem fuisse crediderim, quo die Paridem in convivium Menelaus excepit:[5]) nec ornatiorem Andromachen,[6]) cum sacris Hectoris initiata est nuptiis.

Inter has, (nempe: quatuor maritatas) et Catharina Petrusia fuit, quae paulo post diem defuncta, Caesarem in funebribus habuit, qui et natum eius militia, ante sepulchrum donavit. quamvis infantem. Huius quoque mirabilis formae decus elucebat; inferior tamen Lucretia erat. Omnis de Lucretia sermo audiebatur. Hanc Caesar, hanc caeteri commendabant, intuebanturque. Quocunque illa vertebatur, eo et oculi sequebantur adstantium. Et, sicut Orpheus,[7]) sono citharae, silvas et saxa secum fertur traxisse, sic ista homines suo, quocumque volebat, intuitu ducebat.

---

[1]) Conf. Ov. Her. XVI. 213. 214. — [2]) Ov. Am. I. 5; 23. — [3]) Conf. Ov. Am. III. 2; 35. 36. — [4]) Val. Max. VIII 3; 3. Quint. inst. I. 6; — [5]) Ov. Her. XVI. 127. *Serv. in Verg. Aen. VI. 93. X. 91.* — [6]) Ov. Ars. III. 109. — [7]) Sen Herc. fur. 571. seq. Ov. Met. X. 88—145. Horat. ars 394—396. de Amphione.

Vnus tamen inter illos omnes, plus aequo, in illam ferebatur. Euryalus Franco, quem nec forma[1]), nec divitiae, amori reddebant ineptum. Duorum et triginta annorum erat: non eminentis staturae, sed laetae, grataeque habitudinis, illustribus oculis, malis ad gratiam rubescentibus,[2]) caeteris membris non sine quadam maiestate decoris, staturae correspondentibus, decoratus erat.

Reliqui curiales, propter longinquam militiam, omnes auro excussi erant. Hic, quia et domi abundabat et, propter amicitiam Caesaris magna munera recipiebat: in dies ornatior conspectibus hominum reddebatur. Longum famulorum ordinem pone ducebat.[3]) Nunc auro illitis, nunc muricis tyrii sangvine tinctis, nunc filis, quae ultimi legunt Seres, textis vestibus utebatur.[4]) Tum equi tales illi erant, quales, ut in fabulis est, ad Troiam venisse Memnonis.[5])

Nihil huic, ad excitandum illum blandum animi calorem magnamque mentis[6]) vim, quam amorem vocant, praeter otium deerat. Sed vicit iuventa et luxus, tum laeta fortunae bona, quibus ille nutritur. Nec erat potens[7]) Euryalus sui, ut Lucretiam vidit; ardere puellam coepit, haerensque vultui, nihil satis vidisse[8]) putabat. Nec, impune dilexit.

Mira res! Multi egregia forma iuvenes, sed unum hunc Lucretia: plures honesti corporis mulieres, sed hanc unam Euryalus sibi delegit. Non tamen hac ipsa die vel in se flammam Lucretia cognovit Euryali, vel ille Lucretiae: sed amare se frustra uterque putavit.

Vt igitur ceremoniis sacro Caesaris capiti peractis, modus fuit et illa domum reversa, in Euryalum tota, in Lucretiam totus Euryalus ferebatur.

Quis nunc Thisbes et Pyrami fabulam[9]) demiretur, inter quos notitiam, primosque gradus vicinia fecit? et, quia domos habuere contiguas, tempore crevit amor.

Hi nusquam se prius viderant, nec fama cognoverant. Hic Franco, haec Etrusca fuit; nec lingvae commercium intercessit; sed oculis tantum res acta est, cum alter alteri placuisset.

Saucia ergo gravi cura Lucretia et igne capta coeco, iam se maritatam obliviscitur. Virum odit et alens venereum vulnus,[10]) infixos pectori tenet Euryali vultus: nec ullam membris suis quietem praebet; secumque:

„Nescio quid obstat,“[11]) ait, „ut amplius haerere viro nequeam. Nil me iuvant eius amplexus, nil oblectant oscula; fastidium verba ingerunt. Peregrini semper ante oculos est imago, qui hodie propior erat Caesari. Excute[12]) conceptas e casto pectore flammas, si potes infelix. Si possem, non essem aegra, ut sum. Nova me vis invitam trahit. Aliud cupido svadet, alia mens. Scio quid sit melius, quod dete-

[1]) Verg. Aen. V. 295. — [2]) Hieron. (ubi?) — [3]) Conf. Ter. Heaut. II. 3: 4: 5. — [4]) Sen. Hip. 387—389. — [5]) Conf. Ov. Am. I. 8; 4. — Fast. IV. 714 — [6]) Sen. Oct. 561—565. — [7]) Sen. Hip. 699. — [8]) Verg. Aen. VI. 487. — [9]) Ov. Met. IV. 55—60. — [10]) Verg. Aen. IV. 2—5. — [11]) Ov. Met. VII 12. — [12]) Ov. Met. VII. 17—23.

rius est sequor. O! civis egregia ac nobilis, quid tibi cum peregrino est? Quid in extraneo ureris? Quid thalamos alieni concipis orbis? Si virum fastidis, haec etiam potest dare terra, quod ames.[1]) Sed heu mihi! quae nam illius est facies? Quam non moveat eius forma, aetas, genus, virtus? Certe pectora mea movit[2]) et, nisi ferat opem, dispereo. Dii meliora dent!"[3])

„Vah! prodam[4]) ego castos hymenaeos, meque advenae, nescio cui, credam? qui, dum abusus me fuerit, abeat, virque sit alterius et me poenae relinquat? Sed non is est eius vultus, non ea nobilitas animi videtur, nec gratia formae illa est, ut timeam fraudes et amoris oblivia nostri et, dabit ante fidem, cur tuta timeam? Accingar et omnem moram pellam. Ego quoque ita sum pulchra, ut non me minus ille velit, quam ego ipsum cupiam.[5]) Semper se mihi debebit, si semel ad oscula fuerit receptus mea.[6]) Quot me ambiunt proci, quocunque pergo! Quot rivales ante fores excubant meas!"[7])

„Dabo amori operam. Aut hic manebit, aut me secum abiturus abducet. Ergo ego et matrem et virum et patriam relinquam?[8]) Saeva est mater et meis semper infesta gaudiis.[9]) Viro carere, quam potiri malo.[10]) Patria illic est, ubi delectat vivere. At famam prodam! Quid mihi rumores hominum, quos ipsa non audiam? Nihil audet, qui famae nimis studet. Multae hoc fecerunt aliae. Rapi Helena voluit; non invitam asportavit Paris.[11]) Quid Ariadnem referam, vel Medeam? Nemo errantem arguit, qui cum multis errat."

Sic Lucretia. Nec intra pectus minora incendia nutriebat Euryalus.

---

[1]) Conf Ov. Her. XVI. 85. Ars I. 91. — [2]) Ov. Met VII. 26—29 — [3]) Ibid. 37. [4]) Conf Ov. Met VII. 38—48. — [5]) Ov. Her. XVI. 93. — [6]) Ov. Am. III. 7; 47. 48. — [7]) Con., Ov. Her. XVII 99. 104. VII. 123. — [8]) Conf. Ov. Met. VII. 51—53. Iuv. VI. 85. 86. — [9]) Ov. Met. XIII. 463. — [10]) Ov. Her. VII. 28. — [11]) Ov. Her. V. 132.



Medias inter Caesaris curiam et Euryali domum Lucretia aedes habuit. Nec palatium Euryalus petere potuit, quin illam ex altis se ostentantem fenestris, haberet in oculis. Sed erubuit semper Lucretia, cum Euryalum vidit. quae res Caesarem fecit amoris conscium. Nam, cum. ex sua consvetudine, nunc huc, nunc[1]) equitaret illuc et hac saepe transiret: animadvertit, mutari feminam Euryali adventu, qui sibi, quasi Octaviano Maecenas[2]) adstabat. Ad quem versus:

„Eu Euryale“ ait, „siccine uris feminas? Mulier illa te ardet.“

Semel vero, tamquam amanti invideret, ubi ad aedes Lucretiae ventum est, Euryali oculos pilo contexit.

„Nec videbis,“ inquit, „quod amas; ego hoc spectaculo fruar.“

Tum Euryalus:

„Quid hoc signi est Caesar? Nihil mihi cum illa est. Sed hoc facere incautum est, ne circumstantes in suspicionem adducas.“[3])

Erat Euryalo spadix equus,[4]) arduae cervicis, argutique capitis. quem et brevis alvus et obesa terga spectabilem reddebant, animoso pectore, thoris luxuriante, qui sonante tuba stare loco nesciebat. Nutabat auribus et collectum fremens volvebat sub naribus ignem. Densa iuba et dextro iactata recumbebat in armo et cavans tellurem solido cornu. graviter sonabat ungula. Similis illi fiebat Euryalus visa Lucretia. Quae licet, dum sola fuit, claudere viam destinasset amori: ut tamen illum aspexit, nec modum flammae, nec sibi ponebat; sed, ut

[1]) Ov Her. X. 19. — [2]) Prop. II 1: 25. Horat. Epod. I. 1—4. — [3]) Conf. Nepos Hannib. 2. 2. — [4]) Verg. Georg. III. 79—88.

siccus ager,[1]) qui admisso igne, comburitur, si chori perflent, altius flammescit: sic infelix Lucretia exardebat.[2])

Ita est sane, ut sapientibus videtur: humiles tantum casas habitat castitas,[3]) solaque pauperies affectu sano tenetur et quae domus se coercet modico. Divites aedes nescit pudicitia. Quisquis rebus secundis exsultat,[4]) luxu fluit, semperque insolita appetit. Delicatas eligit domos[5]) et penates magnos, dira fortunae comes libido.[6])

Intuens igitur Euryalum, quam saepe transeuntem, Lucretia, nec ardorem compescere potens: diu secum cogitavit, cui se patefaceret. Nam, qui tacitus ardet, magis uritur. Erat inter viri servos Sosias, teutonicus senex, heroque fidus, cui iam servierat diu liberaliter.[7]) Hunc aggreditur amans, plus nationi, quam homini credens.

Ibat, magna procerum stipante[8]) caterva per urbem Caesar, iamque Lucretiae domum praeteribat; quae, ubi adesse Euryalum cognovit, —

„Adesto," inquit, „Sosia, paucis te volo.[9]) Respice deorsum ex fenestra. Vbinam gentium iuventus est huic similis? Vide, ut omnes calamistrati sunt, erecti, eminentibus humeris. Aspice caesareos,[10]) et madido cirro contortos crines. O, quales facies. Omnes lactea colla ferunt,[11]), quo sese ore ferunt, quam forti pectore.[12]) Aliud est hoc hominum genus, quam quod terra nostra producat. Semen hoc deorum est, aut e coelo missa progenies. O! si ex his mihi virum fortuna dedisset. Nisi oculi testes essent, numquam tibi narranti haec credidissem et, si fama fuerit, praestare omnibus gentibus Germanos, credo subiectam Boreae fore plagam et ex frigore magno albedinem mutuari. Sed, nostine tu aliquos?"

„Quam plurimos," inquit Sosias. Tum Lucretia:

„Euryalum Franconem nosti?"

„Tamquam me," ait Sosias. „Cur tamen hoc rogas?"

„Dicam," inquit Lucretia. „Scio, quod inapertum non ibit. Hanc spem mihi bonitas tua facit. Ex his, qui Caesari adstant, nemo mihi est Euryalo gratior. In hunc animus meus commotus est. Nescio quibus exuror flammis. Nec illum oblivisci, nec mihi pacem possum dare, nisi me ei facio notam. Perge, oro, Sosia, conveni Euryalum: dic me ipsum amare. Nil volo ex te amplius; nec tu frustra hoc nuntium facies."

„Quid audio?"[13]) refert Sosias. „Haeccine me flagitia facere,[14]) aut cogitare, hera, decet? Prodamne ego[15]) dominum, iamque senex incipiam fallere, quod iuvenis abhorrui. Quin potius[16]) clara progenies huius urbis, exturba nefandas flammas e casto pectore. Ne obsequere dirae spei. Exstingve ignem. Non aegre amorem pellit, qui

---

[1]) Ov. Her. XV. 9. 10. — [2]) Verg. Aen. IV. 68 — [3]) Sen. Hip. 211—214. — [4]) Ibid. 204. 205. — [5]) Sen. Hip 209. 210. — [6]) Ibid. 206. 207. — [7]) Ter. Andr I. 1; 11. — [8]) Verg. Aen. I. 497. — [9]) Ter. Andr. I. 1; 1. 2. — [10]) Iuv XIII. 164. 165. — [11]) Verg. Aen. VIII. 660. — [12]) Verg Aen. IV. 11. 12. — [13]) Ter. Andr. III. 4; 13. — [14]) Ter. Adel. III. 3; 25. et 54. — [15]) Ov. Met. VII. 38. — [16]) Sen. Hip. 129—137.

primis obstat insultibus. Qui dulce malum blandiendo nutrit: duri et insolentis domini servituti se dat; nec cum vult, excutere iugum potest. Quodsi hoc resciret maritus,[1]) heu! quibus te ille laceraret modis![2]) Nullus diu latere potest amor."

„Tace!" inquit Lucretia. „Nihil loci terrori est. Nihil timet, qui non timet mori. Quemcumque dederit exitum casus, feram."[3])

„Quo misera pergis?"[4]) Sosias retulit. „Domum infamem reddis, solaque tui generis eris adultera. Tutum esse facinus reris? Mille circa te oculi sunt. Non sinet genitrix occultum scelus;[5]) non vir, non cognati, non ancillae, servi ut taceant,[6]) iumenta loquentur: canes et postes et mormora te accusabunt. Atque, ut celes omnia,[7]) qui videt omnia, celare non potes Deum. Disce quid poena praesens, consciae mentis pavor et animus culpa plenus, seque ipsum timens.[8]) Negata est magnis sceleribus fides. Compesce, obsecro, impii amoris flammas. Expelle facinus, mente casta, horridum. Metue concubitus novos miscere thalamis mariti."

„Scio, rectum esse, quod dicis,"[9]) retulit Lucretia: „sed furor cogit sequi peiora. Scit animus, quantum praecipitium instat et ruit sciens. Vincit et regnat furor, potensque mente tota dominatur amor. Stat sequi, quod regnum iubet Amoris. Nimis, heu! nimis reluctata sum frustra. Perfer, si mei te miseret, nuntium."

Ingemuit super his Sosias „Perque[10]) has," dixit, „canas senectae comas, fessumque curis pectus et fida, quae praebui generi tuo servitia, precor supplex: siste furorem, teque ipsam adiuva. Pars sanitatis est, velle sanari."

Tum Lucretia: „non omnis," ait „ingenium reliquit pudor.[11]) Parebo tibi Sosia. Amorem, qui tegi non vult, vincam. Vnicum effugium est huius mali, morte ut praevertam nefas."

Exterritus hac Sosias voce, „moderare," inquit, „hera, mentis effrenae impetus;[12]) „coerce animos. Nunc vita es digna, quia te nece dignam putas."

„Decretum est,"[13]) ait Lucretia, „mori.[14]) Admissum scelus Collatini uxor[15]) gladio vindicavit. Ego honestius praeveniam morte committendum. Genus laeti quaero. Laqueo, ferro, praecipitio, veneno,[16]) vindicare castitatem licet. Vnum hoc aggrediar."

„Non patiar,[17])" inquit Sosias. At Lucretia: „si quis mori constituit, prohiberi[18]) non potest," ait. „Porcia Catonis filia, mortuo Bruto, cum ferrum sibi subtractum esset, carbones ardentes ebibit."[19])

„Si tam protervus,"[20]) inquit Sosias, „incubat menti furor tuae,

---

[1]) Ter. Hec. II. 2: 20. — [2]) Ter. Adel. III. 2; 17. — [3]) Sen. Hip. 138. — [4]) Sen. Hip. 142—146: Herc. fur. 1012. — [5]) Sen. Hip. 150. 151. — [6]) Iuv. IX. 103 104. — [7]) Sen. Hip. 152—155. — [8]) Sen. Hip. 162—171. — [9]) Sen. Hip. 177—179. 184. 185. 218. 180. — [10]) Sen. Hip. 246—249. Herc. fur 1248—1250. 1252. — [11]) Sen. Hip. 250—254. — [12]) ibid. 255—257. — [13]) Ter. Heaut. III. 1: 56. — [14]) Ibid 258—261. — [15]) Ov. Her. II 139—142. — [16]) Ter. Andr. V. 4: 43. — [17]) Sen. Hip. 878. 265. 266. — [18]) Conf. Liv. I. 58. — [19]) Martial. I. 43: 2—7. — [20]) Sen. Hip. 268—272.

magis vitae, quam famae consulendum est.[1]) Fallax saepe fama est, quae malo melior, bono peior nonnunquam datur. Temptemus hunc Euryalum et amori operam demus. Meus erit iste labor,[2]) tibique, ni fallor, rem confectam dabo."

His dictis incensum animum inflammavit amore, spemque dedit dubiae menti.[3]) Sed non illi animus erat, ut, quod dixerat, esset facturus. Differre animum feminae quaerebat, furoremque imminuere; ut saepe tempus exstingvit flammas et adimit aegritudinem dies.[4]) Existimavit Sosias falsis gaudiis puellam producere[5]) donec vel Caesar abiret, vel mens illius mutaretur; ne, si negasset, alius quaereretur nuntius, aut in se manus mulier iniiceret. Saepe igitur ire ac redire se finxit et illum gaudere amore suo et tempus idoneum quaerere, quo invicem affari possent. Dixit interdum, non fuisse loquendi opportunitatem. Nonnunquam se mitti extra urbem studuit ac in reditum gaudia distulit. Sic diebus multis aegrotum pavit animum et, ne per omnia mentiretur, semel tamen adortus Euryalum,

„O! quam hic dilectus es," ait, „si scires!" Nec illi quaerenti, quid hoc esset, ultra respondit.

At Euryalus, certo Cupidinis arcu[6]) percussus, nullam membris quietem dabat,[7]) igne furtivo populante venas, qui totas penitus vorabat medullas.[8]) Non tamen Sosiam novit, nec Lucretiae missum putavit.

Vt omnes minus spei habemus, quam cupiditatis, hic, ubi ardere se vidit, diu prudentiam suam miratus est, seque multotiens increpavit:

„En Euryale, quid sit amoris imperium, nosti: longi luctus, breves risus, parva gaudia, magni metus, semper moritur et nunquam mortuus est, qui amat. Quid tu te his nugis immisces iterum?"

At, cum se frustra niti videret, — „quid tandem," ait, „incassum miser amori repugno? Num me licebit, quod Iulium licuit,[9]) quod Alexandrum, quod Hannibalem? Sed, quid viros armatos refero? Aspice poetas! Vergilius, per funem tractus, ad mediam turrim pependit, dum se mulierculae sperat usurum amplexibus.[10]) Excuset quis poetam, ut laxioris vitae cultorem. Quid de philosophis dicemus, disciplinarum magistris et artis bene vivendi praeceptoribus? Aristotelem, tamquam equum, mulier ascendit, freno coercuit et calcaribus pupugit."

„Diis aequa potestas est Caesarum![11]) Non est verum, quod vulgo dicitur: non bene conveniunt, nec in una sede morantur maiestas et amor.[12]) Quis est maior amator, quam noster Caesar? Quo-

---

[1]) Contraria dicit Hieron. advers. Iovin. l. I. (op. I. II. p. 35. F.) — [2]) Verg. Aen. IV. 115. — [3]) Ibid. 54. 55. — [4]) Ter. Heaut. III. 1; 13. — [5]) Ter. Andr. I. 2; 9. — [6]) Ov. Am. I. 1; 25. Sen. Hip. 278. — [7]) Verg. Aen. IV. 5. X. 217. — [8]) Sen. Hip. 279. 280. 282. 641. 642. Verg. Aen. IV. 66. — [9]) Sen. Oct. 574. Ov. Am. II. 8; 14. — [10]) Donat. vita 9 (20.) — [11]) Sen. Herc. fur. 489. — [12]) Ov. Met. II. 846. 847. Ov. Ars. III. 564.

Aristoteles et Herpyllis.



ties hic amori operam dedit? Herculem dicunt. qui fuit fortissimus et certa deorum soboles, pharetris[1]) et leonis spolio positis, colum suscepisse, passumque aptari digitis smaragdos et dari legem rudibus capillis et manu, qua clavam gestare solebat, properante fuso, duxisse fila. Naturalis est haec passio."

„Sentit ignes genus aligerum.[2]) Nam niger a viridi turtur amatur ave et variis albae saepe iunguntur columbae,[3]) si verborum memini, quae ad Phaonem Siculum scribit Sappho. Quid quadrupedia referam?[4]) Movet pro coniugio bella iumentum; timidi cervi proelia poscunt et concepti furoris dant signa mugientes. Vruntur hircanae tigrides;[5]) vulnificos aper dentes acuit; poeni quatiunt terga leones, cum movit amor, ardent insani ponti beluae.[6]) Nihil immune est, nihil amori negatum; odium perit cum iussit amor[7]) Iuvenum feroces concitat

[1]) Sen. Hip. 317—324. — [2]) Ibid. 338. — [3]) Ov. Her. XV. 38. 37. — [4]) Verg. Ge. III. 209 - 283. — [5]) Verg. Aen. IV. 367. — [6]) Sen Hip. 342. 354. — [7]) Sen. Hip 575.

flammas, senibusque fessis rursus exstinctos revocat calores;[1]) virginum ignoto ferit igne pectus. Quid ego naturae legibus renitar? Omnia vincit amor; et nos cedamus amori.[2])



Haec ubi firmata sunt, lenam quaerit, cui ceras ad nuptam ferendas committat. Nisus huic fidus comes erat,[3]) harum rerum callidus magister. Hic provinciam suscipit, mulierculam conducit, cui litterae committuntur,[4]) in hanc sententiam scriptae:

„Salutarem te Lucretia meis scriptis, si qua mihi salutis copia foret; sed omnis, tum salus, tum vitae spes meae, ex te pendet. Ego te magis quam me amo, nec te puto latere mei ardorem laesi pectoris. Index tibi potuit esse vultus meus, saepe lachrimis madidus et quae, vidente te, emisi suspiria. Fer benigne, te precor, si me tibi aperio. Cepit me decus tuum, vinctumque tenet eximia, qua omnibus praestas, venustatis gratia."

„Quid esset amor, antehac nescivi. Tu me Cupidinis imperio subiecisti. Pugnavi diu, fateor, violentum ut effugerem dominum sed vicit conatus meos splendor tuus. Vicerunt oculorum radii, quibus es sole potentior."

„Captivus sum tuus, nec mei amplius compos sum.[5]) Tu mihi somni et cibi et potus usum abstulisti. Te dies noctesque[6]) amo; te desidero; te voco; te exspecto; de te cogito; te spero; de te me oblecto; tuus est animus; tecum sum totus. Tu me sola servare potes, solaque perdere. Elige horum alterum et, quid mentis habeas, rescribe.

[1]) Sen. Hip. 290—293. — [2]) Verg. Cir. 437. Ecl. X. 69. — [3]) Verg. Aen. IV. 158. 159. — [4]) Conf. Ov. Am. I. 11; 7. — [5]) Conf. Sen. Hip. 699. — [6]) Ter. Eun. I. 2; 113—115.

Nec durior erga me verbis esto, quam fueras oculis, quibus me colligasti."

„Non peto rem grandem. Vt alloquendi te copiam habeam, postulo. Hoc tantum volunt hae litterae meae, ut quae scribo, dicere possim coram te. Hoc si das, vivo et felix vivo; sin negas, exstingvitur cor meum, quod te magis quam me amat."

„Ego me tibi et tuae commendo fidei.[1]) Vale anime mi et vitae subsidium meae."

Has ubi, gemma signatas, accepit lena: festino gradu Lucretiam poscit, eaque sola inventa, „hanc tibi epistolam," inquit, „tota caesarea nobilior et potentior curia mittit amator, utque sui te misereat, magnis precibus rogat."

Erat lenocinio notata mulier; nec id Lucretiam latebat permolesteque tulit infamem feminam ad se mitti. Atque in eam versa:

„Quae te," ait, „scelesta in hanc domum audacia duxit? Quae te dementia adire meam praesentiam svasit? Tu nobilium aedes ingredi, tu matronas temptare potentes et violare audes legitimas faces?[2]) Vix me contineo,[3]) quin in capillos involem tuos. Tu des mihi litteras? Tu me alloquaris? Tu me respicias? Nisi plus quod me decet, adtenderem, quam quod tibi convenit: te efficerem hodie,[4]) ne posthac tabellas amatorias ferres. I, ocius venefica, tuasque litteras tecum defer: imo, da potius, ut lacerem, ignique dedam."



[1]) Ter. Eun. V. 2; 46. 47. — [2]) Verg. Ecl. II. 69. VI. 47. Conf. Ov. Am. I. VIII. 19. — [3]) Ter. Eun. V. 2; 20. 21. Ov. Her. XII. 157. 158. Am. I. 8; 110-112. — [4]) Verg. Ecl. III. 51. conf.

Arripiensque papirum, in partes diversas scidit et calcatam saepe pedibus atque consputam, in cinerem proiecit.


„Ac sic de te," ait, „sumi supplicium lena deberet, igne quam vino dignior. Sed abi ocius, ne te vir inveniat meus et, quas tibi remisi, de te poscat poenas; cavetoque admodum, ne ante conspectum redeas meum."

Timuisset alia mulier; sed haec matronarum noverat mores et intra se ait: „nunc vis maxime, quia te nolle ostendis."[1]) Moxque ad illam:

„Parce," inquit, „domina, putavi me bene facere, tibique placitum iri. Si secus est, da veniam imprudentiae meae. Si non vis, ut redeam, parebo. Tu, quem despicis amantem, videris."

Atque his dictis, e conspectu recessit. Euryalo autem invento, „respira," inquit, „felix amator; plus amat mulier, quam amator, sed nunc non fuit rescribendi otium. Inveni moestam Lucretiam: at, ubi te nomino, tuasque litteras dedi: hilarem vultum fecit, miliesque papirum basiavit. Ne dubita, mox responsum dabit." Et abiens vetula, cavit, ne amplius inveniretur, ne pro verbis referret verbera.

Lucretia vero, postquam anus evasit, fragmenta perquirens epistolae, particulas quasque suo loco reposuit et lacera verba contexuit, iamque legibile chirographum fecerat; quod, postquam milies egit, miliesque deosculata est, tandemque involutum sindone: inter pretiosa iocalia collocavit et nunc hoc repetens, nunc illud verbum, maiorem horatim bibebat amorem, Euryaloque rescribere statuit atque hunc in modum dictatatam epistolam misit:



1) Ov. Ars I. 274.

„Desine sperare, quod assequi non licet, Euryale. Parce litteris et nuntiis me vexare. Nec me illarum ex grege credito, quae se pretio vendunt.[1]) Non sum quam putas, nec cui submittere lenam debeas. Quaere aliam incestandam. Me nullus amor, nisi pudicus sequatur. Cum aliis, ut libet,[2]) agito: ex me nil postules, te, meque indignum.[3]) Vale.“

Haec epistola, quamvis durior[4]) Euryalo visa est et contraria lenae dictis, viam tamen ostendit, ultro citroque litteras missitandi. Nec dubitavit Euryalus credere, cui fidem Lucretia praebuisset; sed angebatur, quia sermonis italici nescius erat; ideoque ferventi studio curabat ediscere et, quia sedulum faciebat amor: brevi tempore doctus evasit, solusque sibi dictavit epistolas, quia prius ab aliis mutuabatur.[5]) quidquid etrusco sermone scribi oportuit. Respondit ergo Lucretiae:

Nil succensendum esse sibi, quod infamem submiserit feminam, cum id se peregrinum lateret, quia alio uti nuntio non potuerat. Missionis amorem fuisse causam,[6]) qui nil quaereret inhonesti. Credere se, fore ipsam pudicam, castissimamque atque idcirco maiore dignam amore. Insolentem feminam, honorisque sui prodigam, nedum se non diligere, sed maximo odio persequi. Pudicitia namque amissa,[7]) nil esse, quod in femina commendetur. Formam fore delectabile bonum, sed fragile[8]) caducumque et cui, nisi pudor assit, nihil pretii detur. Quae pudicitiam formae adiunxerit,[9]) eam divinam esse mulierem, ipsamque utraque dote pollentem scire ac propterea coli a se, qui nihil ab ea peteret libidinosum, aut obfuturum famae. Optare se tantum alloqui, ut animum suum, qui scriptis plene ostendi nequit, verbis aperiat.

Cumque his litteris munera misit, non tantum materia, sed etiam opere pretiosa. Ad haec Lucretia sic rescripsit:

„Accepi litteras tuas, iamque nil amplius de lena queror. Quod me ames, non magnifacio, quia nec primus es, nec solus, quem mea forma decepit.[10]) Multi et amaverunt et amant me alii: sed, ut illorum, sic et tuus erit vacuus labor. Habere verba tecum nec possum, nec volo. Invenire me solam, nisi fias hirundo, non potes. Altae sunt domus et aditus custodia clausi.[11]) Munera tua suscepi, quia oblectavit me opus illorum. Sed, ne quid tuum gratis apud me sit,[12]) neve hoc pignus videatur amoris: remitto ad te annulum, quem matri meae vir dedit, ut apud te, quasi pretium sit venditorum iocalium. Nec enim pretii minoris est[13]) gemma eius, quam munus tuum. Vale!“

His Euryalus sic replicavit:

„Magno mihi gaudio fuit epistola tua, quia finem fecit querelae de lena. Sed angit me, quod amorem parvi pendas meum. Nam, etsi te plures ament, nullorum tamen ignis comparandus est meo. At

[1]) Conf. Ov. Her. V. 144. — [2]) Ter. Andr. II. 1; 10. — [3]) Conf. Ter. Eun. IV. 6; 10. — [4]) Conf. Ov. Ars. I. 483—486 — [5]) Quint. instit. VIII. in proemio — [6]) Conf Ter. Eun. V. 2; 38. 39. — [7]) Theophr. „de nuptiis“ apud Hieron cont. Iovin. l. I. ad fin. — [8]) Ov. Ars II. 113. — [9]) Conf. Iuv. X. 297. 298. — [10]) Conf. Ov. Her. IV. 64. — [11]) Ov. Ars II. 53 *confer*. — [12]) Conf. Ov. Her. XVII. 71. 72. XV. 103. 104. — [13]) Conf. Mart. VIII 51; 7.

tu hoc non credis, quia loqui nequeo tecum; id si daretur, non me contemneres."

„O! utinam fieri possem hirundo; sed libentius transformari in pulicem vellem, ne mihi fenestram clauderes. At ego, non quod nequeas, sed quod nolis, doleo;[1]) nam quid ego, nisi animum respicio. Ah! mea Lucretia, quid dixisti te nolle? An, si fieri possit, me nolis alloqui, qui tuus sum totus? Qui nihil magis cupio, quam tibi gerere morem; quae si iubes, in ignem ire,[2]) citius obediam, quam praecipias. Mitte, obsecro, verbum hoc."

„Si non datur facultas, assit voluntas tamen.[3]) Neque me verbis eneca, quae vitam oculis mihi praebes. Si non placet me alloquium petere, quia non sit impetrandum, obsequar. Sed muta sententiam illam, qua laborem meum vacuum dixisti futurum. Absit haec crudelitas, mitior esto amanti tuo."

„Si pergis sic loqui, fies homicida, nec dubita. Facilius tu me verbis interimeres, quam alius quivis gladio. Desino iam plura poscere; ut redames tantum postulo. Nihil hic est, quod obiicias; nemo potest tibi hoc prohibere. Dic, te me amare et beatus sum."

„Munuscula mea, quovis modo, apud te sint: gratum est[4],) quia illa te aliquando mei admonebunt amoris, sed parva illa fuerunt et minora sunt quae nunc mitto. Tu tamen noli spernere, quod amator donat, maioraque in dies ex patria mihi debent afferri;[5]) cum aderunt, ex me recipies. Annulus tuus nunquam ex digito meo recedet et illum, vice tua, crebris osculis reddam madidum. Vale delicium meum et mihi, quod potes, solatium dato."

Sic cum frequenter replicatum esset, in hunc tandem modum Lucretia dedit epistolam.

„Vellem tibi, Euryale, morem gerere teque, ut petis, amoris mei participem facere, nam id nobilitas tua meretur et mores tui deposcunt, ut in cassum ne ames. Taceo, quantum mihi placet forma tua et plena benignitate facies; sed mihi non est usui, te ut diligam. Nosco me ipsam. Si amare incipiam, nec modum, nec regulam servabo. Tu hic diu esse non potes, nec ego te, postquam in ludum venerim, possem carere. Tu me nolles abducere et ego nollem manere."

„Movent me multarum exempla, quae per peregrinos amantes desertae sunt, ne tuum amorem sequar. Iason Medeam decepit, cuius auxilio vigilem interemit[6]) draconem et vellus aureum asportavit. Tradendus erat Theseus Minotauro in escam; sed Ariadnae fretus consilio, evasit; illam tamen desertam apud insulam dimisit.[7]) Quid Dido infelix, quae profugum recepit Aeneam?[8]) Nonne illi peregrinus amor interitum dedit."

---

[1]) Conf. Ov- Her. XIX. 24. — [2]) Conf. Sen. Hip. 612—616. — [3]) Conf. Ov. ex Ponto III. 4. 79. — [4]) Conf. Ov. Am II. 15; 3. —[5]) Conf. Ov. Her. XVII. 222. — [6]) Conf. Ov. Her. XII. 105. 106. 134. 135. XVII. 229. &c. Sen. Medea. — [7]) Conf. Ov. Her. X. 3—6. Hyg. fab. 42 et 225. — [8]) Conf. Ov. Her. VII. 89—92. 105. 139. 171. VII. 7. 8. 17. 18. Verg. Aen. IV. 393—400.

„Scio, quanti periculi sit amorem extraneum admittere.[1]) Nec me tantis obiciam discriminibus. Vos viri solidiores estis animi[2]) furoremque magis compescitis. Femina, ubi furere incipit, sola potest morte assequi terminum. Non amant, sed insaniunt mulieres et, nisi correspondeat amor, nil est amante femina terribilius. Postquam receptus est ignis, nec famam curamus, nec vitam. Vnicum remedium est, si copia sit amati. Nam, quo magis caremus, eo magis cupimus, nec discrimen timemus ullum, dummodo nostrae libidini satisfiat.“

„Mihi ergo nuptae, nobili, diviti, consultum est, amori viam procludere et tuo praesertim, qui non potest esse diuturnus: ne vel rhodopeia Phyllis dicar,[3]) aut altera Sappho.[4]) Ideo te oratum volo, ne ultro meum exposcas amorem et tuum ut paullatim comprimas exstingvasque. Nam id est viris, quam feminis, multo facilius. Nec tu, si me, ut dicis, amas: ex me quaerere debes, quod mihi exitio sit. Pro tuis donis remitto auream crucem, margaritis ornatam; licet brevis sit, non tamen pretio caret. Vale!“

Non tacuit Euryalus his acceptis, sed, ut erat novis scriptis incensus, calamum suscepit atque sub hac forma dictavit epistolam:

„Salve mi anima Lucretia! quae me tuis litteris salvum facis, etsi nonnihil fellis immisceas; sed hoc spero, me audito, detrahes. Venit in manus meas epistola tua clausa et tua gemma signata. Hanc et legi saepe et deosculatus sum saepius: sed haec aliud svadet, quam tuus videtur animus fuisse.“

„Rogas me, ut amare desinam, quia non expedit tibi peregrini flammas amoris sequi et ponis exempla deceptarum. Sed hoc tam ornate culteque scribis, ut mirari magis et amare tuum ingenium debeam, quam oblivisci. Quis est ille, qui tunc amare desinat, quando prudentiorem et sapientiorem animadverterit amicam? Si meum minuere amorem volebas, non oportuit doctrinam tuam ostendisse. Nam hoc non est incensum exstingvere, sed ignem maximum ex parva conflare favilla.“

„Ego, dum legi, magis exarsi, videns formae tuae praeclarae et honestati coniunctam esse doctrinam. Verba sunt tantum, quibus rogas, ut amare desistam. Roga montes, ut in planum veniant, utque fontes sua repetant flumina.[5]) Tam possem ego te non amare, quam suum relinquere Phoebus cursum. Si possunt carere nivibus Scythiae[6]) montes, aut maria piscibus, aut feris silvae: poterit et oblivisci Euryalus tui.“

„Non est pronum viris, ut reris Lucretia, flammas exstingvere: nam, quod tu sexui nostro adscribis, plerique vestro assignant. Sed nolo hoc certamen nunc ingredi. Ad ea me respondere oportet, quae in adversum retulisti. Idcirco enim nolle te mihi correspondere amanti significas, quoniam multas peregrinus amor decepit exemplaque ponis.“

[1]) Conf. Ov. Her. X. 98. — [2]) Conf. Ov. Her. XIX 6. 7. — [3]) Conf. Ov Her. II. 147. 148 — [4]) Conf Ov. Her. XV 220. — [5]) Conf Ov. Her V. 29 30. Hor. Carm I. 29: 10—12. Ov. Met. VII. 199. 200. — [6]) Si legi deberet loco: Scythiae: Sithoniae, tunc conf. Hor Carm. III. 26; 10.

„Sed possem ego quoque plures referre, quos feminae reliquerunt. Troilum,[1]) sicut nosti, Priami filium, Chryseis decepit. Deiphobum Helena prodidit.[2]) Amantes Circe suos, medicamentis vertit in sues atque in aliarum terga ferarum.“[3])

„Sed iniquum est, ex paucarum consuetudine, totum vulgus censere.[4]) Nam si sic pergimus et tu, propter duos, tresve malos, aut etiam decem viros, omnes accusabis horrebisque: et propter todiem feminas caeterae omnes erunt odio mihi? Quin potius alia sumamus exempla, qualis amor Antonii Cleopatraeque[5]) fuit et aliorum, quos epistolae brevitas referre non sinit.“

„Sed tu Ovidium legisti; invenistique, post Troiam dirutam, Achivorum[6]) plurimos, dum remeant, peregrinis retentos amoribus, nunquam in patriam revertisse. Haeserunt namque amatricibus suis, carereque potius necessariis, domo, regnis et aliis, quae sunt in patria cuique gratissima, voluerunt, quam amicas relinquere.“

„Haec te rogo, mea Lucretia, cogites, non illa, quae nostro sunt amori adversa et quae pauci fecerunt. Ego ea mente te sequor, ut perpetuo te amem, simque perpetuo tuus. Nec tu me peregrinum dixeris; magis namque civis sum, quam qui hic nascitur; nam illum casus fecit civem, me vero electio. Nulla mihi patria erit, nisi ubi tu sis et, quamvis aliquando contingat, me hinc abire, reditus tamen festinus erit. Nec ego in Teutoniam revertar, nisi res meas compositurus, ordinaturusque, ut tecum esse quam diu possim. Facile manendi apud te reperietur occasio. Multa his in partibus Caesari negotia sunt. Haec mihi committi expedienda curabo. Nunc legatione fungar, nunc munus exercebo. Vicarium in Etruria Caesarem habere oportet. Hanc ego provinciam impetrabo.“

„Nec dubita, svavium meum[7]) Lucretia, meumque cor, spes mea: si vivere absque corde possum, et te relinquere possum. Age iam tandem; miserere amantis[8]) tui, qui tamquam nix ad solem eliquescit. Considera meos labores et modum iam denique meis martyriis statue. Quid me tamdiu crucias? Miror ego mei, quod tot tormenta perpeti potuerim, qui tot noctes insomnes duxi, qui tot ieiunia toleravi. Vide, quam macer sum et pallidus. Parva res est, quae spiritum alligatum corpori detinet.“

„Si tibi aut parentes, aut filios occidissem: non poteras de me maius quam hoc supplicium sumere. Si sic me punis, qui te amo: quid ergo illi facies, qui tibi damnum dederit,[9]) aut malum? Ah! mea Lucretia, mea hera, mea salus, meum refugium! Suscipe me in gratiam; demum rescribe, me tibi carum. Nil aliud volo, liceat mihi dicere: servus Lucretiae sum. Et reges et Caesares amant servos, ubi fideles noverint. Nec dii dedignantur redamare, qui illos amant. Vale! spes mea, meusque metus.“

---

[1]) Conf. Boccacc. Filostrato (Troilus et Cressida) IX. X. — [2]) Conf. Verg. Aen VI. 495. 511. 512. — [3]) Conf. Hom. Odys X. 233. seq. — [4]) Conf. Sen. Hip. 565. Ov Ars III. 9. — [5]) Conf. Plut. Ant. 28. 29 — [6]) Conf. Ov. Her. I. 73—76. — [7]) Terent. Eun. III. 2; 3. — [8]) Sen. Hip. 671. — [9]) Ter. And. I. 1; 116. et Ov. Am. I. 6; 31.



Vt turris, quae fracta interius, inexpugnabilis videtur exterius si vero aries admotus fuerit, mox confringitur: sic, Euryali verbis Lucretia victa est. Postquam enim sedulitatem amantis aperte cognovit,' et ipsa dissimulatum patefecit amorem atque his litteris Euryalo se aperuit:



„Non possum tibi amplius adversari,[1]) nec te amplius, Euryale, mei amoris expertem habere possum. Vicisti, iamque sum tua.*) Me miseram![2]) quae tuas suscepi litteras. Nimium multis exponenda sum periculis, nisi me tua fides et prudentia iuvet. Vide, ut serves, quae scripsisti. In amorem iam tuum venio. Si me deseris, et crudelis, et proditor, et omnium pessimus es. Facile est feminam decipere; sed quanto facilius, tanto turpius.“[3])

„Adhuc res integra est.[4]) Si putas me deserendam: dicito, antequam magis amor ardet. Nec incipiamus, quod postmodum incepisse poeniteat. Omnium rerum respiciendus est finis.[5]) Ego, ut feminarum est, parum video. Tu vir es, te mei et tui curam habere oportet.[6]) Do iam me tibi, tuamque sequor fidem. Nec tua esse incipio, nisi ut sim perpetuo tua.[7]) Vale! meum praesidium, meaeque ductor vitae.“

Post hanc plures epistolae missae utrimque sunt; nec tam ardenter scripsit Euryalus, quam ferventer Lucrentia respondit. Vnum iam utriusque desiderium erat simul conveniendi; sed arduum ac pene impossibile videbatur, omnium oculis Lucretiam observantibus; quae nec sola unquam egrediebatur, nec unquam custode carebat. Nec tam diligenter bovem Iunonis[8]) Argus custodivit, quam Menelaus iusserat observari Lucretiam. Vitium hoc late apud Italos patet; feminam suam, quasi thesaurum, quisque recludit; meo iudicio minus utiliter. Sunt enim fere huiusmodi mulieres omnes, ut id potissimum cupiant, quod maxime denegatur: quae, ubi velis, nolunt, ubi nolis, cupiunt ultro.[9]) Eae, si liberas habent habenas[10]) minus delinquunt. Exinde tam facile est invitam custodire mulierem, quam, in fervente sole, pulicum gregem observasse. Nisi suapte casta sit[11]) mulier, frustra maritus nititur ponere seram. Cohibe![12]) sed quis custodiet ipsos custodes? Cauta est et ab illis incipit uxor. Indomitum animal est mulier, nullisque frenis retinendum.

Erat Lucretiae spurius frater; huic saepe tabellas commiserat, Euryalo deferendas; hunc enim sui amoris conscium fecerat. Cum hoc igitur convenitur, Euryalum ut clam domi suscipiat; habitabatque hic apud novercam suam, Lucretiae matrem, quam Lucretia saepe visitabat et ab ea saepius visitabatur; nec enim magno intervallo distabant.

Ordo ergo is erat: ut, clauso in conclavi Euryalo, postquam mater ecclesiasticas auditura ceremonias exivisset: Lucretia superveniret, tamquam matrem domi conventura; qua non inventa, reditum

---

[1]) Ter. Hec. II. 2; 29. — *) vide [7]) — [2]) Ov. Her. XIX. 121. — [3]) Conf. Ov. Her. II. 63 64. — [4]) Conf. Ter. Phor. III. 1; 15. — [5]) Sen. epist 119. — [6]) Conf. Ter. Andria IV. 3; 22. 23. — [7]) Ov. Her. V. 157. 158. — [8]) Ov. Met. I. 588. seq. Hyg. fab. 145. — [9]) Ter. Eun IV. 7; 43. Sen. rem. fort. 16. 4. Ov. Am. II. 19; 3. III. 4; 17. Ars I. 274. — [10]) Conf. Ov. Am. III. 4; 13—15. Rem. 514. — [11]) Ov. Am. I. 8; 43. III 4; 1—8. — [12]) Iuv. VI. 347. 348. 234. 235.

exspectaret; interea vero apud Euryalum esset. Post biduum statutus erat terminus. At hi dies quasi anni visi sunt amantibus longi; ut bene sperantibus horae productae sunt, male timentibus correptae.

Sed non arrisit amantum desideriis fortuna. Praesensit namque insidias mater;[1]) atque, ut dies venit, egressa domum, privignum exclusit, qui mox Euryalo triste nuntium tulit: cui non magis, quam Lucretiae fuit molestum; quae, postquam detectos agnovit dolos: „hac non successit, alia,“ inquit, „aggrediamur via.[2])“ Nec potens erit mater, meis obsistere voluptatibus.“

Pandulus viro affinis erat, quem iam Lucretia fecerat arcanorum scium; nec enim poterat ignitus animus quiescere. Significavit ergo Euryalo, hunc ut alloquatur, quia fidus sit et conveniendi viam possit monstrare. At Euryalo non videbatur tutum illi se credere, quem Menelao semper haerentem intuebatur et subesse fallaciam verebatur.




Inter deliberandum autem iussus est Euryalus Romam petere atque, cum Pontifice Maximo, de coronatione transigere: quae res tum sibi, tum amicae molestissima fuit; sed oportebat Caesaris imperium ferre. Iter ergo mora duorum mensium fit. Lucretia interim domi manere, fenestras claudere, moestas induere vestes coepit, nusquam exire voluit. Mirari omnes coeperunt, nec causam noscere potuerunt. Senae ipsae viduae videbantur et, tamquam sol defecisset, cuncti se putabant in tenebris agere. Domestici, qui eam saepe incu-

---

[1]) Conf. Ov. Her. XI. 34. Verg. Aen. IV. 296 297. — [2]) Ter. Andr. IV. 1; 45.

bantem lectulo et nunquam laetem videbant: aegritudini imputabant et, quidquid remediorum afferri poterat, perquirebant. Sed nunquam illa vel risit, vel thalamum egredi voluit, nisi, postquam redire Euryalum et illi Caesarem obviam esse cognovit. Tunc enim, quasi e gravi somno excitata, lugubri veste deposita et ornamentis redimita prioribus, fenestras aperuit, laetabundaque illum exspectavit. Quam ut Caesar vidit, „ne nega amplius Euryale," inquit, „detecta est res. Nemo unquam, absente te, Lucretiam videre potuit; nunc, quia redisti, auroram cernimus. Quis enim modus assit amori?[1]) Tegi non potest amor, nec abscondi tussis."[2])

„Iocaris mecum, ut soles, Caesar et me in risum ducis," Euryalus ait. „Ego, quod hoc sit, non scio. Hinnitus equorem et prolixae turbae strepitus tuae, illam forsitan excitavit." Atque sic effatus, Lucretiam furtim aspexit et oculos coniecit in oculos.[3]) Eaque, post reditum, prima consolatio fuit.



Paucis deinde interiectis diebus, Nisus Euryalo fidus comes,[4]) dum anxius amici causae favet: tabernam speculatus est, quae post Menelai domum sita, in Lucretiae cameram retrorsum habebat intuitum. Cauponem igitur sibi conciliat, spectatoque loco, Euryalum adducit et: „hac," inquit, „ex fenestra Lucretiam alloqui poteris."

Media inter utramque domum cloaca fuit, nec homini, nec soli

---

[1]) Vergl. Ecl. II. 68. -- [2]) Conf. Ov. Her. XVIII. 14. XII. 37. — [3]) Conf. Ov. Ars I 573. — [4]) Verg Aen. IV. 158. 159.

accessa,[1]) triumque ulnarum distantia, fenestram Lucretiae disterminabat. Hic diu consedit amator, exspectans, si quis casus Lucretiam ostenderet. Nec deceptus est. Affuit tandem Lucretia: tumque huc atque illuc respiceret, „quid agis," ait Euryalus. „vitae rectrix meae. quo tendis lumina, meum cor? huc, huc dirige oculos, praesidium meum. Tuus hic Euryalus est. Me,-me,-assum,[2]) me respice!"

„Tune hic ades?" inquit Lucretia. „O mi Euryale! Iam te alloqui possum, utinam et amplecti valerem!"

Ad istud ait Euryalus:

„Non magno conatu faciam. Scalam huc admovebo. Obsera thalamum. Amoris nostri gaudia nimium distulimus[3])

„Cave mi Euryale, si me vis salvam.[4]) Fenestra hic ad dexteram est, vicinusque pessimus; nec cauponi credendum est, qui parva pecunia. te et me perderet. Sed alia incedemus via. Sat est, si hinc sermoni nostro patet accessus." respondit Lucretia.

„At mihi," inquit Euryalus „mors est haec visio, nisi te simul amplector, meisque brachiis teneo mediam."

Diu ex hoc loco tractatus est sermo, missaque hinc per arundinem sunt munera. Nec Euryalus in donis, quam Lucretia, liberalior fuit.

Sensit dolos Sosias; secumque: „frustra," inquit, „amantum conatibus obsto. Nisi astu provideo, et hera peribit, et dominus infamiam subibit. Ex his malis satius est unum avertere. Amet hera, nihil nocebit, si clam fit.[5]) Ipsa prae amore caeca est, nec quid agat, satis prospicit. Si non potest custodiri pudicitia, satis est rumorem tollere, ne domus infamis fiat, neve parricidium committatur."

„Adibo et operam praebebo meam. Restiti quoad potui, ne committeretur nefas. Id, quia non licuit, meum est curare, ut, quod peius agitur, occultum sit, (parum enim refert non agere) et sic agere, ut nemo sciat. Commune malum libido est; nec homo est, quem pestis haec non agitet et ille castior habetur, qui cautius agit."

Dum sic fatur, Lucretiam egressam thalamo videt;[6]) aggressusque feminam:

„Quid nam est," inquit, „quod nihil amoris mihi committas? Euryalus tibi nihilominus dilectus est et, ut clam ames, vide, cui des fidem. Primus sapientiae gradus est: non amere; secundus: ut, si ames, ne palam fiat.[7]) Sola hoc, sine internuntio, facere non potes. Quanta mihi apud te sit fides,[8]) longo iam tempore didicisti. Si quid mihi committere vis, iube. Mihi maxima cura est ne amor iste detegatur et tu poenam luas et vir tuus omnium oblocutiones ferat."

Ad haec Lucretia:

„Sic est, ut ais Sosia," inquit. „et tibi magnam habeo fidem; sed

---

[1]) Conf. Ov. Her. XII. 68. Verg. Aen. VIII. 195. — [2]) Verg. Aen. IX. 425. — [3]) Conf. Ov. Met. IV. 350. — [4]) Ter. Heaut.. 1; 68. — [5]) Conf Ter. Andr. II. 6; 13. 14. — [6]) Ter Heaut. III. 1; 17. — [7]) Ter. Hec I. 2; 30. — [8]) Conf. Ter. Heaut. III. 3; 10.

tu visus es, nescio quo modo, negligens et meis adversus desideriis. Nunc, quia sponte te offers, utar obsequiis tuis; nec abs te dicipi timebo. Tu scis, quantum ardeo; diu ferre non possum hanc flammam. Iuva me, ut simul esse possimus, Euryalus amore langvet et ego morior. Nihil peius est, quam obstare cupidini nostrae. Si semel invicem convenerimus, temperantius amabimus et noster tectus erit amor. Vade igitur, Euryaloque viam unicam, me accedendi, dicito."

„Si abhinc quadriduo, dum rustici frumentum afferunt, vectoris personam induat, opertusque sacco, triticum per scalas in horreum ferat. Tute scis, thalamum meum ad scalas habere ostium, atque omnia Euryalo dicito. Hic diem manebo et, dum erit tempus, sola in cubili ero. Ipse ostium impellat, dum solus sit et ad me ingrediatur."

Sosias, quamvis arduum facinus esset, maiora veritus mala, provinciam suscepit, Euryaloque invento, cuncta ex ordine nuntiat, quae ille iudicans levia, libenter amplectitur, seque imperatis accingit, nec aliud queritur, quam nimiam moram.

O insensatum pectus amantis! O mentem coecam! O animum audacem, corque intrepidum! Quid est tam invium, quod tibi non pervium videatur?[1]) quid tam arduum, quod planum non aestimes? quid tam clausum, quod tibi non sit apertum? Tu omne discrimen parvi facis; tu nihil difficile censes. Inanis est apud te omnis custodia maritorum. Nullae te leges tenent; nulli metui, nulli pudori obnoxius es. Omnis labor tibi est ludus, tibi nil obstat unquam.

O rerum Amor domitor omnium! Tu virum primatem, Caesari acceptissimum, divitiis affluentem, aetate maturum, imbutum litteris, prudentia clarum, eo perducis, ut posita purpura, saccum induat, vultum fuco tegat, servus ex domino fiat et, qui nutritus in deliciis fuerat, iam humeros gestandis oneribus aptet, seque publicum baiulum mercede locet.

O rem mirandam, peneque incredibilem! Virum alioquin consilio gravissimum, inter catervas vectorum cernere atque in colluvie illa, faeceque hominum, contubernium habuisse. Quis transfomationem quaeret maiorem? Hoc est, quod Ovidius Metamorphoseon[2]) innuere vult: dum fieri ex hominibus aut bestias scribit, aut lapides, aut plantas. Hoc et poetarum eximius Maro[3]) sensit, dum Circes amatores in terga ferarum verti cantavit. Nam ita est, ex amoris flamma sic mens hominis alienatur: ut parum a bestiis differat.[4])

---

[1]) Conf. Mart. epig. II 14; 1. — [2]) Conf. Ov. Met. XIV. 25—71. 271—286. 312. seq. — [3]) Verg. Aen. VII. 20. — [4]) Ter. Eun. II. 1; 19. 20.



Linquens croceum Tithoni Aurora cubile,[1]) iam diem reserabat[2]) optatum, moxque suum rebus colorem Apollo reddens: exspectantem recreat Euryalum, qui tunc se fortunatum, beatumque censuit, cum admixtum se vilibus servis, nulli noscendum vidit.

Pergit igitur, ingressusque Lucretiae domum, frumento se oneravit, positoque in horreo tritico: ultimus descendentium fuit atque, ut erat perdoctus, ostium maritalis thalami, quod in medio scalarum clausum videbatur, impulit, seque intro recepit et, reclusis foribus, Lucretiam serico intentam vidit atque accedens propius:

„Salve mi anime!“ inquit, „salve unicum vitae praesidium,[3]) spesque mea! Nunc te solam offendi. Nunc, quod semper optavi, semotis arbitris, te amplector. Nullus iam paries, nulla distantia meis obstat osculis.“

Lucretia, quamvis ordinem ipsa dedisset: primo congressu stupuit, nec Euryalum, sed spiritum se videre putabat, ut, quae virum tantum, ad ea pericula iturum sibi non svadebat. At, ubi, inter amplexus et oscula, suum agnovit Euryalum, impavida ait:

„Tune hic es, pauperculе? Tune hic ades Euryale?“ et, rubore per genas fuso,[4]) complexa est arctius hominem et media fronte dissaviata. Moxque repetens sermonem:

„Heu! quanto te,“ ait, „discrimini subiecisti! Quid amplius dicam? Iam me tibi charissimam scio; iam tui amoris feci periculum.[5])

---

[1]) Verg. Georg. I. 447. Aen. IV. 585. — [2]) Boet. cons. I metr. III: 8. — [3]) Ter. Hec I. 2: 43. 44. — [4]) Conf. Verg. Aen. XII. 65. 66. — [5]) Conf. Ov. Ars II. 247.

sed neque tu me aliam invenies. Dii tantum fata secundent[1]) et amori nostro prosperum eventum dent. Dum spiritus hos regit artus[2]) praeter te nemo Lucretiae potens erit, ne maritus quidem, si rite maritum appello, qui mihi invitae datus est et in quem animus nunquam consensit meus. Sed age mea voluptas, meum delicium, abiicito saccum hunc, teque mihi, ut es, ostende. Exue vectoris speciem. Hos funes missos fac. Euryalum me videre concedito."

Iam ille, depositis sordibus, ostro fulgebat et auro et amoris in officium pronus ibat. Tum Sosias, ante ostium pulsitans:

„Cavete," inquit, „amantes; nescio quid rerum quaerens, Menelaus huc festinat. Tegite furta vestra, dolisque virum fallite. Nihil est, qua egredi putetis."[3])

Tum Lucretia:

„Latibulum parvum sub strato est, illic pretiosae res sunt. Scis, quid tibi scripserim, si te, mecum existente, vir adventaret. Ingredere huc, tutus his in tenebris eris. Neque te moveris, neque screatum dederis."

Anceps, quid agat Euryalus, mulieris imperium subit. Illa, foribus patefactis, ad sericum redit.[4]) Tum Menelaus et una Bertus assunt, chirographa nonnulla, ad rempublicam pertinentia, quaesituri; quae, postquam nullis inventa sunt scriniis,

„In latibulo nostro," inquit Menelaus, forsitan erunt. I, Lucretia, lumenque affer, hic intus quaerendum est."

His exterritus vocibus Euryalus, exsangvis fit, iamque Lucretiam odisse incipit, atque inter se:

„Heu me fatuum!" inquit, „quis me huc venire compulit, nisi levitas mea? Nunc deprehensus sum; nunc infamis fio; nunc Caesaris gratiam perdo. Quid gratiam? utinam mihi vita supersit! Quis me hinc vivum eripiet? Emori certum est."

„O me vanum et stultorum omnium stultissimum! In hanc sentinam volens cecidi. Quid haec amoris gaudia, si tanti emuntur? Brevis est illa voluptas, dolores longissimi. O! si nos haec pro regno coelorum subiremus! Mira est hominum stultitia. Labores breves nolumus pro longissimis tolerare gaudiis. Amoris causa, cuius laetitia fumo comparari potest: infinitis nos obiectamus angustiis."

„Ecce me ipsum! Iam ego exemplum, iam fabula omnium ero, nec quis exitus pateat, scio. Hinc si me deorum quispiam traxerit: nusquam me rursus amor illaqueabit. O Deus! eripe me hinc, parce iuventuti meae! Noli meas metiri ignorantias! Reserva me, ut horum delictorum poenitentiam agam!"

„Non me amavit Lucretia, sed quasi cervum, in casses voluit deprehendere. Ecce! venit dies meus. Nemo me adiuvare potest, nisi tu Deus meus. Audieram ego saepe mulierum fallacias; nec declinare scivi. At, si nunc evasero: nulla me unquam mulieris techna deludet."[5])


---

[1]) Verg. Aen VII. 259. — [2]) Ibid. IV. 336. — [3]) Conf. Verg. Aen IX. 739. — [4]) Conf. Ter. Heaut. II. 3; 37. — [5]) Conf. ibid. III. 1; 61. 62.

Sed nec Lucretia minoribus urgebatur molestiis, quae non solum suae, sed amantis quoque saluti timebat. At, ut est in periculis subitaneis, mulierum quam virorum promptius ingenium, excogitato remedio:

„Age," inquit, „mi vir! Cistella illic super fenestra est, ubi te memini monimenta[1]) nonnulla recondidisse. Videamus, an illic chirographa sint reclusa." Subitoque decurrens, tamquam vellet aperire cistellam, latenter illam deorsum impulit et, quasi casu cecidisset:

„Proh! mi vir,[2])" ait, „adesto, ne quid damni sentiamus. Cistella ex fenestra decidit; perge ocius! ne iocalia, vel scripturae dispereant. Ite, ite ambo! Quid statis?[3]) Ego hinc, ne quis furtum faciat, oculis observabo."



Vide audaciam mulieris![4]) I nunc et feminis credito. Nemo tam oculatus est, ut falli non possit. Is duntaxat non fuit illusus, quem coniux fallere non temptavit. Plus fortuna, quam ingeno, sumus felices.

Motus hoc facto Menelaus Bertusque una repente in viculum se praecipitant. Domus, etrusco more, altior fuit, multique gradus descendendi erant. Hinc datum est Euryalo spatium mutandi locum, qui ex monitu Lucretiae in novas latebras se recepit.

Illi, collectis iocalibus atque scripturis, quia chirographa, quibus opus erat, non repererant: ad scrinia, iuxta quae latuerat Euryalus, transeunt, ibique voti[5]) compotes facti, consalutata Lucretia, recesserunt.

---

[1]) Conf. Ter. Eun IV. 6; 15. — [2]) Ter. Heaut. IV. 1: 9. — [3]) Ibid. II. 3; 9. — [4]) Ter. Eun V. 5; 24. — [5]) Conf. Sen. Hip. 710.

Illa, obducto foribus pessulo:

„Exi mi Euryale! exi mi anime!" inquit. „Veni gaudiorum summa meorum. Veni fons delectationum mearum, scaturigo laetitiae, favum mellis. Veni dulcedo incomparabilis mea. Iam tuta sunt omnia, iam nostris sermonibus liber campus patet, iam locus est amplexibus tutus. Adversari osculis nostris fortuna voluit; sed aspiciunt dii nostrum amorem;[1]) nec tam fidos amantes deserere voluerunt. Veni iam meas in ulnas! Nihil est quod amplius vereare, meum lilium, rosarumque cumulus. Quid stas? quid times? Tua hic sum Lucretia. Quid cunctaris Lucretiam amplexari?"

Euryalus, vix tandem formidine[2]) posita, sese recepit, complexusque mulierem:

„Nunquam me," inquit, „tantus invasit timor; sed digna tu es, cuius causa talia tollerentur. Nec ista oscula et tam dulces amplexus obvenire cuipiam gratis debent. Nec ego, ut verum fatear, satis emi tantum bonum. Si post mortem rursus vivere possem, teque perfrui, emori millies vellem, si hoc pretio tui possent amplexus coemi. O! mea felicitas! O! mea beatitudo! Visum video, an ita est? Teneo te, aut somniis illudor vanis?[3]) Tu certe hic es et ego te habeo.

Erat Lucretia levi vestita palla, quae membris, absque ruga, haerebant; nec vel pectus, vel clunes mentiebantur; ut erant artus, sic se ostentabant. Gulae candor nivalis, oculorum lumen tamquam solis iubar. Intuitus laetus, facies alacris, genae veluti lilia, purpureis immixta rosis. Risus in ore svavis atque modestus. Pectus amplum, papillae quasi duo punica poma ex utroque latere tumescebant pruritumque palpantibus movebant.

Non potuit Euryalus ultra stimulum cohibere[4]) sed, oblitus timoris, modestiam quoque ab se repulit, aggressusque feminam:

„Iam," inquit, „fructum sumamus amoris;" remque verbis iungebat. Obstabat mulier, curamque sibi honestatis et famae fore dicebat; nec aliud eius amorem, quam verba et oscula poscere.

Ad quae subridens Euryalus:

„Aut scitum est," inquit, „me huc venisse, aut nescitum. Si scitum, nemo est, qui non caetera suspicetur et stultum est, infamiam sine re subire. Si vero nescitum,[5]) et hoc quoque sciet nullus. Hoc pignus amoris est; emoriar prius, quam hoc caream."

„Ah! scelus est," inquit Lucretia.

„Scelus est," refert Euryalus, „bonis non uti, cum possis. At ego occasionem mihi concessam, tam quaesitam, tam optatam, amitterem?"[6]) Acceptaque mulieris veste, pugnantem feminam, quae vincere nolebat,[7]) abs negotio vicit.

---

[1]) Conf. Ter. Phor. V 3; 34. — [2]) Ov. Her. XVIII. 57. Verg. Aen. II. 6; III. 612. — [3]) Conf. Sen. Herc fur. 623. 624. — [4]) Conf. Ov. Met. IV. 351. — [5]) Conf. Sen. Hip 7[illegible]4. — [6]) Ter. Eun. III. 5; 56—58. — [7]) Ov. Am. I. 5; 15. Ars I. 666. 700.

Nec Venus haec satietatem, ut Amnoni cognita Tamar[1]) peperit, sed maiorem sitim excitavit amoris. Memor tamen discriminis Euryalus, postquam vini, cibique paulisper hausit, repugnante Lucretia, recessit; nec sinistre quispiam suspicatus est, quia unus e baiulis putabatur.



Admirabatur se ipsum Euryalus, dum viam pergeret; secumque: „O! si nunc," inquit, „se obvium mihi daret Caesar, meque agnosceret, quam illi habitus hic suspicionem faceret, quam me rideret! Fabula omnibus essem et illi iocus. Numquam me missum faceret, donec sciret omnia. Dicendum esset, quid sibi haec rustica vestis vellet.[2]) Sed fingerem, non hanc, sed aliam me dicerem adiisse matronam; nam et ipse hanc amat, nec ex usu est, meum sibi amorem patere. Lucretiam nunquam proderem, quae me suscepit, servavitque."

Dum sic loquitur, Nisum, Achatem, Palinurumque vidit, eosque praeit: nec prius ab his cognitus est, quam domi fuit; ubi, positis saccis, praetextaque sumta, rerum pandit eventum; dumque, quis timor et quod gaudium intercessit, memoriter narrat:[3]) nunc timenti, nunc exsultanti similis fit. Inter timendum autem:

„Heu me stultum!" inquit, „feminae meum tradidi caput. Non sic me pater admonuit, dum me nullius feminae fidem sequi debere docebat? Ille feminam dicebat animal esse indomitum, infidum, mutabile,[4]) crudele, mille passionibus deditum. Ego, paternae immemor

[1]) Vulg. lib. Reg. II. 13; 10—17. — [2]) Ter. Eun. III. 5; 10. — [3]) Ter. Eun. 5. 3; 6. 7. — [4]) Conf. Verg. Aen. IV. 569. 570.

disciplinae,[1]) vitam meam mulierculae tradidi. Quid, si me, oneratum frumento, aliquis agnovisset? Quod dedecus, quaenam infamia mihi et meis posteris evenisset! Alienum me Caesar fecisset, tamquam levem et insanum punivisset; potuissem haec contemnere."

„Quid autem, si me vir, dum scrinia versabat, latentem invenisset? Saeva est lex iulia moechis. Exigit tamen dolor mariti maiores poenas, quam lex ulla concesserit. Necat haec ferro, necat ille cruentis verberibus; quosdam moechos et mugilis intrat.[2]) Sed putemus virum pepercisse vitae meae. Num me in vinculis coniecisset, aut infamen Caesari tradidisset? Dicamus et illius me manus effugere potuisse, quia inermis erat, mihique fidus ensis haerebat lateri. At vir comitatus erat et arma ex pariete pendebant captu facilia; in domo longus famulorum ordo. Clamores mox invaluissent et ostia fuissent clausa; tunc de me supplicium sumtum fuisset."

„Heu me dementem! Nulla me prudentia" liberavit ab hoc discrimine, sed casus. Quid casus? imo et promptum ingenium Lucretiae. O fidem feminam! O amatricem prudentem! O insignem et nobilissimum amorem! Cur me tibi non credam? Cur tuam non sequar fidem? Mille mihi assint cervices, omnes tibi committam. Tu fidelis es, tu cauta, tu prudens, scis amare et amantem tueri."

„Quis tam cito excogitare potuisset viam qua me quaerentes averteret, ut tu ipsa excogitasti? Tu mihi hanc vitam servasti, eandem tibi devoveo. Non meum est, sed tuum, quod spiro. Non erit mihi durum perdere propter te, quod per te teneo. Tu vitae meae ius habes, tu necis imperium."

„O candidum pectus! O dulcem lingvam! O svaves oculos! O ingenium velox! O membra marmorea, succique plena![3]) Quando ego vos revisam? quando iterum corallina labia mordebo? quando tremulam lingvam, ori meo immurmurantem, denuo sentiam? papillasque unquam illas retractabo?"

„Parum est, Achates, quod in hac muliere vidisti. Quo propior est femina, eo formosior est. Vtinam una mecum fuisses! Non Candaulis[4]) regis Lydiae formosa uxor formosior fuit,[5]) quam ista est. Non miror, illum voluisse nudam coniugem socio demonstrare, ut plenius sumeret gaudium. Ego quoque itidem facerem. Si facultas esset, Lucretiam tibi nudam ostenderem. Aliter autem nec tibi effari, quanta sit eius pulchritudo possum, nec tu, quam solidum,[6]) quamque plenum meum fuerit gaudium, potes considerare. Sed congaude mecum, quia maior fuerat voluptas, quam verbis possit exponi."

Sic Euryalus cum Achate. Nec pauciora secum Lucretia dicebat; eius tamen tanto minor laetitia fuit, quo taciturnior. Aliis fidem non habuit, ut rem possit referre: Sosiae, prae verecundia, totum non audebat narrare.

---

[1]) Conf. Ter. Heaut. II. 3; 18—20. — [2]) Iuv. X 314. seq. Horat. Sat. I. 2; 41—46. — [3]) Ter. Eun. II. 3; 27. — [4]) Herodot. I. 8. seq. — [5]) Ov. Her. XVIII. 73. — [6]) Ter. Andr. IV. 1; 23.

Pacorus interea, Pannonius eques, domo nobilis, qui Caesarem sequebatur, ardere Lucretiam coepit et, quia formosus erat, redamari putabat, solamque feminae pudicitiam obstare sibi rebatur. Illa, sicut mos est nostris dominabus, omnes vultu blando intuebatur. Ars est, sive deceptio potius, ne verus amor palam fiat. Insanit Pacorus, nec consolari potest, nisi Lucretiae mentem persentiat.[1])

Solent matronae senenses, ad primum lapidem, sacellum divae Mariae, quod in Bethlehem nuncupatur, saepius visitare. Huc Lucretia, duabus comitata virginibus et anu quadam, proficiscebatur. Sequitur Pacorus, violam in manibus gestans, deauratis foliis, in cuius collo epistolam amatoriam, subtilibus inscriptam membranis, absconderat. Nec mirere; tradit enim Cicero, Iliadem omnem, ita subtiliter scriptam, sibi ostensam fuisse, ut testa nucis clauderetur.[2])



Offert violam Lucretiae, seque commendat Pacorus. Respuit donum Lucretia. Instat[3]) Pannonius magnis precibus. Tum anus: „recipe," inquit, „hera donatum florem. Quid times, ubi nullum est periculum; parva res est, qua potes hunc militem placare."

Secuta est Lucretia anilem svasionem, violamque recepit. Parumper ultra progressa, violam alteri ex virginibus dedit. Nec diu post obviam facti sunt duo studentes, qui virgunculam, ut sibi florem traderet, non magno negotio induxerunt, apertoque violae stipite, carmen amatorium invenerunt. Solebat enim hoc hominum genus pergratum esse matronis nostris. Sed, postquam Caesaris curia Senas

[1]) Conf. Ter. Andr. II. 3; 4. — [2]) Cic. frag. ex admir. lib. — [3]) Ter. Andr. I. 1. 120.

venit, irrideri, despici et odio haberi coepit, quia plus armorum strepitus, quam litterarum lepor, nostras feminas oblectabat. Hinc grandis livor et simultas ingens erat, quaerebantque togae vias omnes, quibus possent nocere sagis.

Vt ergo violae dolus patuit, ad Menelaum mox itur, epistolamque ut legat, rogatur. Ille moestus domum pergit, uxorem increpat, domumque clamore implet. Negat se ream uxor, remque gestam exponit et anus adducit testimonium. Itur ad Caesarem, fit querela, vocatur Pacorus. Is crimen fatetur, petensque veniam, nunquam se posthac Lucretiam vexaturum, iure iurando confirmat; sciens tamen, Iovem non irasci,[1] sed arridere periuriis amantum: sterilem flammam, ut magis prohibitus erat, eo diligentius sequebatur.



Venit hiems[2] exclusisque Nothis, solum Boream admittebat. Cadunt ex coelo nives; solvitur in ludum civitas; iactant matronae in vicos, iuvenes in fenestras, nivem. Hinc nactus occasionem Pacorus, epistolam alteram cera includit, ceramque nive tegit et cingit, factaque pila, in fenestram Lucretiae iacit.

Quis non omnia regi fortuna dicat? Quis non favorabilem eius cupit flatum?[3] Fati enim plus valet hora benigni, quam si te Veneris commendet epistola Marti.[4] Dicunt quidam,[5] nihil esse, quod in sapiente queat fortuna. Hoc ego his sapientibus concedo, qui sola virtute gaudent, qui et pauperes et aegroti et in tauro Phalaris[6]

---

[1]) Ov. Ars I. 633. — [2]) Verg. Georg II. 19. — [3]) Conf. Cic. Off. II. 6. [4]) Iuv. XVI. 4. 5. — [5]) Conf. Sen. de const. Sap. 6. & 8. de ira III. 25. — [6]) Ovid Ars I. 653. Cic. Verr. IV. 33. 73.

clausi, vitam se credunt possidere beatam; qualem nullum adhuc vel vidi, vel fuisse putarim.

Communis hominum vita favoris indiget fortunae. Haec, quos vult, elevat et quos vult deprimit. Quis Pacorum perdidit, nisi fortuna? Numquid prudentis consilii fuit, in nodis violae clausisse tabellas et nunc, beneficio nivis, epistolam transmisisse? Dicet aliquis, fieri cautius potuisse. Quodsi hoc consilium iuvisset fortuna, et cautus hic et prudentissimus iudicatus fuisset. Sed obstans fatum, pilam ex Lucretiae manibus lapsam, apud ignem duxit, ubi, solutis calore nivibus, liquefactaque cera, tabellas manifestavit; quas tum vetulae, quae se calefaciebant, tum Menelaus, qui aderat, perlegerunt, novasque lites excitaverunt, quas Pacorus, non excusatione, sed fuga vitavit.

Hic amor ex usu venit Euryalo. Nam vir, dum gressus et actus Pacori speculatur: insidiis Euryali locum facit, verumque est, quod dici solet: „non facile custoditur, quod a pluribus amatur vel expugnatur.“[1])



Expectabant amantes, post primum concubitum, secundas nuptias.

Viculus inter aedes Lucretiae atque vicini perarctus erat, per quem, pedibus in utrumque parietem porrectis, in fenestram Lucretiae haud difficilis praebebatur ascensus; sed hac ascendere solum noctu licebat.

Menelao petendum rus erat,[2]) ibique pernoctandum; qui dies ab amantibus, tamquam Saturnaliorum exspectabatur. Fit recessus. Mu-

[1]) Hieron. contra Iovin. l. I. (op. II. p. 37. B. edit, Francof. 1684. Gensch.) — [2]) Conf. Ter. Eun. II. 1; 10.

tatis Euryalo vestibus, in viculum se recepit. Stabulum illic Menelaus habebat, quod Euryalus, docente Sosia, ingressus est, ibique noctem manens, sub foeno latebat.

Tum ecce Dromo, qui erat Menelai secundus famulus, equis praepositus, impleturus praesepia, foenum ex Euryali latere suscepit, eratque amplius suscepturus et Euryalum furca percussurus, nisi Sosias obviasset, qui, ut discrimen agnovit,

„Da mihi hanc operam,“[1]) inquit, „frater bone. Ego pabulum equis praebebo. Tu interea loci vide, an nobis coena instructa sit.[2]) Gaudendum est, dum herus abest. Melius est nobis cum domina, quam cum illo. Haec iucunda est et perliberalis; ille iracundus, clamorosus, avarus, difficilis. Numquam nobis bene est, dum ille adest. Videsne, ut ventres nostros iniquo castigat modio,[3]) qui semper esurit, ut nos fame cruciet; nec sustinet mucida frusta caerulei panis consumi, sed hesternum minutal servat in mensem, uniusque coenae siluros et angvillas salsas in alteram differt et numerata fila sectivi porri, ne quid tangamus, signata recludit. Miser, qui per haec tormenta quaerit divitias. Nam quid stultius, quam vivere pauperem, ut locuples moriaris? Quanto melius nobis hera, quae non contenta vitulis nos pascere et teneris hoedis, gallinas quoque turdosque ministrat et vini copiam melioris. I, Dromo, cura, ut quam uncta popina sit.“[4])

„Istud,“ inquit Dromo, „curae habebo et mensam potius, quam equos fricabo. Herum hodie in rus deduxi, quod sibi male succedat. Nunquam mihi verbum dixit, nisi vesperi, cum me remisit et equos, renuntiarique dominae iussit, non se redditurum hac nocte.“

„Laudo te, Sosia, qui tandem odire coepisti domini mores. Ego iam mutassem dominum, nisi me domina matutinis retinuisset offellis. Nihil dormiendum est hac nocte. Bibamus, voremus, donec veniat dies. Non tantum per mensem lucrabitur herus, quantum nos una coena consumemus.“

Audiebat haec Euryalus libens, tametsi mores servorum notabat et idem sibi fieri non dubitabat, cum domo abesset. Et, cum huiusmodi verba aliquantulum deducta fuissent, utique Dromo recessit. Assurgens Euryalus:

„O! quam,“ inquit, „beatam noctem, Sosia, tuo beneficio sum habiturus, qui me huc duxisti et, ne patefierem, probe curasti. Vir bonus es, meritoque te amo;[5]) nec tibi non gratus inveniar.“

---

[1]) Verg. Aen. VII. 331. 332. — [2]) Conf. Ter. Heaut. I. 2; 37. — [3]) Conf. Iuv. XIV. 126–137. — [4]) Horat. Epi. I. 14; 21. — [5]) Ter. Adel. V. 8; 23. Eun. I. 2; 106. Heaut. II. 3; 119.



Aderat hora praescipta.[1]) Laetus Euryalus, quamvis duobus perfunctus discriminibus, murum ascendit, ad apertam fenestram subintrat,[2]) Lucretiam penes foculum sedentem, paratisque obsoniis exspectantem, reperit. Illa, ut amantem cognovit, assurgens, medium complexa est.[3]) Fiunt blanditiae, dantur oscula, itur in Venerem tensis velis, — fessamque navigio Cythercam, nunc Ceres reficit, nunc Bacchus.

Heu! quam breves voluptates sunt, quam longae sollicitudines. Vix horam Euryalus laetam habuerat; tum ecce Sosiam, qui reditum Menelai nuntiat, gaudiumque perturbat. Timens Euryalus, fugere studet. Lucretia, mensis absconditis, obviam viro pergit, reversumque salutat et:

„O mi vir!“ inquit, „quam bene redisti; nam ego iam te re villica inviscatum rebar. Quid tu tamen rure tam diu fecisti? Cave, ne quid olfaciam! Cur non domi manes? Quid me tua contristari absentia studes? Semper dum abes, timeo tibi; tum ne quam ardeas, formido ut sunt infidi uxoribus suis viri. Quo metu, si me vis solvere, nunquam extra dormias; nec enim sine te nox est mihi ulla iucunda. Sed, coena hic iam, post cubitum ibimus.“

Erant tum in aula, ubi prandere familia solet, ibique virum detinere Lucretia nititur, donec Euryalus abeundi spatium suscepisset, cui necessaria erat morula quaedam. Menelaus autem foris coenatus est, seque in thalamum recipere festinabat. Tum Lucretia:

[1]) Conf. Verg IX 106. V. 104. — [2]) Conf. Ov. Ars. II. 246. — [3]) Ter. Andr I. 1; 106.

„Parum me amas,“ inquit, cur non potius domi apud me coenasti? Ego, quia tu aberas, nec comedi hodie, nec bibi quidquam. Venerunt tamen villici ex Rosalia, nescio quid vini portantes: optimum esse ferebant trebianum. Ego, prae moestitia, nihil gustavi. Nunc quoniam ades, eamus, si placet, in cellarium introrsum, gustemusque vinum, si, ut illi dixerunt, tam svavissimum sit.“

Hisque dictis, laternam dextra, virum sinistra manu recepit et in intimum penum descendit, tamque diu nunc hunc, nunc illum cadum terebravit ac cum viro pitissavit, donec Euryalum putavit abiisse. Ac ita demum ad ingratos hymenaeos cum viro transivit. Euryalus intempesta nocte[1]) domum repetiit.

Sequenti luce, sive quod sic expediebat camerae, sive suspicio mala fuit, muro fenestram Menelaus obstruxit. Credo, ut sunt concives nostri in coniuncturas acuti, suspicionumque pleni: timuisse Menelaum loci commoditatem, utque parum fidebat uxori, occasionem demere voluisse. Nam, etsi nihil conscius erat illi, vexatam tamen feminam, multis dietim temptatam precibus,[2]) non ignorabat et animum cognoscebat mulieris instabilem, cuius tot sunt voluntates, quot in arboribus folia.[3]) *Sexus enim femineus novitatis est cupidus, raroque virum amat, cuius copiam habet.* Sequebatur ergo viam maritorum pervulgatam, quorum opinio est, infortunium bonis excludi custodiis.

Erepta est hinc conveniendi facultas, nec mittendis litteris permissa libertas est, nam et cauponem, qui post aedes Lucretiae vinariam tabernam conduxerat, ex qua Euryalus solebat affari Lucretiam et litteras per arundinem mittere, sicut Menelaus svasit, magistratus expulit.

Restabat solus oculorum intuitus, nutuque tantum se consalutabant amantes; neque istac, amoris extrema linea, commode perfrui poterant. Erat ingens dolor utrique, cruciatusque morti similis, quia nec amoris poterant oblivisci, nec in eo perseverare.

---

[1]) Verg. III. 587. XII 846. — [2]) Conf. Mart. Epig. IV. 85; 3. — [3]) Conf. Cat. 68; 128. — Verg. Aen. IV. 569. 570. Ov. Am. II. 19; 3. III. 4; 6. conf. Sen. rem. fort. 16. 4.



Dum sic anxius Euryalus, quid consilii capiat meditatur: venit in mentem Lucretiae monitum, quod sibi de Pandalo scripserat. Menelai sobrino, — peritosque medicos imitatus, quibus mos est in periculosis aegritudinibus anceps adhibere medicamentum et ultima potius experiri, quam morbum sine cura relinquere. Aggredi Pandalum statuit, remediumque suscipere, quod antea refutarat. Hinc igitur, eo accersito et in penitiorem domus partem, vocato:

„Sede," inquit, „amice; rem grandem tibi dicturus sum, indigentem his, quas in te scio sitas: diligentia, fide et taciturnitate.[1]) Volui haec dudum iam tibi dixisse; sed non eras mihi adhuc plene cognitus; nunc et te nosco et, quia probatae fidei es: amo et observo: quod, si aliud de te nescirem: satis est, quia omnes tui concives te laudant; tum comites mei, quibuscum amicitiam conflavisti et, qui sis et quanti pendendus, me certum fecere; ex quibus te cupere meam benevolentiam didici, cuius te iam facio participem, quia non minus illa es dignus, quam ego sum tua. Nunc. quid velim, quoniam inter amicos res agitur, paucis exponam."

„Tu scis, mortale genus quam in amorem sit pronum, seu virtutis sit, seu vitii. Late patet ista calamitas, nec cor est, si modo carneum est, quod amoris non aliquando sentiat stimulos. Scis, quia nec sanctissimum David, nec sapientissimum Salamonem, nec Samsonem fortissimum, ista passio dimisit immunem."

[1]) Ter. Andr. I. 1; 6. 7.

Samson et Delila.



„Incensi praeterea pectoris et amoris imbibiti ea natura est, ut si quis prohibeat, magis ardeat. Nulla re magis ista curatur pestis, quam dilecti copia. Fuerunt plures, tum viri, tum mulieres, tam nostra, quam maiorum nostrorum memoria, quibus inhibitio durissimae necis fuit occasio. Contra vero, plerosque novimus, qui post concubitum et amplexus passim concessos, mox furere desiverunt."

„Nihil consultius est. postquam amor ossibus haesit:[1]) quam furori cedere. Nam, qui adversus tempestatem nititur, saepe naufragium facit et, qui obtemperat procellae, superat. Haec ideo dixi, quia te scire meum amorem volo et quid mei causa sis facturus. Tibi quod emolumentum hinc sit oriturum, nihil tacebo, quia iam mei cordis alteram te reputo partem."

„Ego Lucretiam diligo; neque hoc, mi Pandale, mea culpa est factum, sed regente fortuna, in cuius manu est, quem colimus orbis. Mihi non erant noti mores vestri, nec huius urbis consvetudines

[1]) Ov. Her. IV. 70.

noram. Putabam ego, feminas vestras, quod oculis monstrant, in corde sentire, Sed inescant homines vestrae maritatae, non amant. Hinc deceptus sum. Credidi namque amatum me Lucretiae fore, dum me luminibus intuebatur placidis, coepique contra diligere. Nec tam elegantem dominam dignam putavi, cui vices non redderentur amoris."

„Nondum te noram, vel tuum genus. Amavi, putans amari. Quis enim tam saxeus est, aut ferreus, qui non amet amatus? Sed postquam fraudes novi, meque dolis irretitum, ne meus sterilis esset amor: nisus sum omnibus artibus, illam incendere, ut par pari referretur."[1])

„Ardere namque, nihilque urere, tum rubor erat, tum anxietas animi, quae me, die noctuque, mirum in modum cruciabat et eram adeo introrsus, ut egredi nullo pacto valerem. Factum est igitur, ut, me continuante, par sit amor amborum. Illa incensa est, ego ardeo; ambo perimus; nec remedium protelandae vitae videmus ullum, nisi tu sis adiumento."

„Vir eam custodit et frater.[2]) Non tam vellus aureum pervigil draco[3]) servabat, nec aditum Orci Cerberus,[4]) quam ista diligenter recluditur. Novi ego familiam vestram. Scio, quia nobiles estis inter primores urbis, divites, potentes, amati.[5]) Vtinam numquam novissem hanc feminam! Sed quis est, qui possit resistere fatis? Non elegi hanc, sed casus dedit amandam."

„Sic res se habet. Tectus est adhuc amor; sed, nisi bene regatur: magnum adhuc, quod Superi avertant, malum pariet. Possem ego me fortassis compescere, si hinc abirem; quod, quamquam mihi esset gravissimum: facerem tamen, vestrae familiae gratia, si hoc putarem ex usu fore. Sed nosco illius furorem. Aut me sequeretur, aut manere coacta, mortem sibi conscisceret,[6]) quod esset domui vestrae dedecus perpetuum.

„Quod igitur te volebam, teque vocabam, vestri causa est, ut obviemus his malis. Nec alia via est, nisi ut amoris nostri aurigam te praebeas, curesque, ut bene dissimulatus ignis non fiat apertus. Ego me tibi commendo, do, devoveo. Obsequere nostro furori; ne, dum oppugnatur, magis incendatur. Cura, ut semel convenire possimus, quo facto mox humiliabitur amor, tollerabiliorque reddetur. Tute scis aditus domus: scis, quando vir abest: scis, quomodo me valeas introducere."

„Frater viri advertendus est, qui est ad has res nimium perspicax, Lucretiamque, — tamquam locum germani teneat, — magna cura custodit, inversaque Lucretiae verba, eversas cervices, gemitus, screatus, tussim, risus[7]) attente considerat. Hunc eludere sententia est; nec sine te fieri potest."

---

[1]) Hieron. Asellae. Epist. 99. (oper. t. II. p. 244. C.) — Ter. Eun. III. 1; 55. — [2]) Conf. Ov. Am. II. 12; 3. 4. — [3]) Ov. Met. VII. 149. Her. XII. 101. — [4]) Ov. Her. IX. 93. 94. — [5]) Ter. Adel. III. 4; 56. 57. — [6]) aut: „manus sibi inferret." Manuscripta et editiones habent: „manus sibi consciret, — (consereret)." — [7]) Ter. Heaut. II. 3; 131. 132. (v. 372.)

„Assis ergo et, quando abfuturus sit vir, me instrue, remanentemque fratrem diverte, ne custos adfixus Lucretiae sit, neve custodes adhibeat alios. Tibi credet et, quod dii faxint, hanc tibi provinciam fortasse committet: quam si susceperis et me iuveris, ut spero, in vado res est.[1] Poteris enim me clam, dum caeteri dormiunt, intromittere et amorem lenire furentem."

„Ex his quot emergant utilitates,[2]) arbitror, te pro tua prudentia palam cernere. Servabis namque imprimis honorem domus, amorem teges, qui non posset absque vestra infamia manifestari. Sobrinam tuam in vita tenebis. Menelao uxorem custodies, cui non tam obest una nox mihi concessa, nesciis omnibus, quam si, sciente populo, illam perdiderit, me sequentem. Nupta senatori romano, secuta est Hippia[3]) ludium ad Pharon et Nilum, famosaque moenia Lagi. Quid, si me, domi nobilem atque potentem, Lucretia sequi statuat? Quod dedecus vestri generis, quis populi risus![4]) Quae nedum vestra, sed totius urbis infamia! Diceret forsan aliquis: absumenda potius ferro, aut exstingvenda venenis est mulier, quam id agat. Sed vae illi, qui se humano sangvine polluit[5]) et maiori scelere vindicat minus. Non augenda sunt mala sed minuenda. Nos hoc scimus, ex duobus bonis melius deligendum, aut ex malo et bono, quod sit bonum; sed ex malis duobus, quod minus obsit."[6])

„Omnis via periculi plena est, sed haec, quam monstro, minus habet discriminis, per quam nedum sangvini tuo consules, sed mihi quoque proderis, qui paene insanio, dum mei causa video Lucretiam cruciari, cui potius odio esse vellem, quam te rogare. Sed hic sumus, eo deducta res est, ut, nisi tuis artibus, tua cura, ingenio atque sollicitudine, navis regatur: nulla salutis spes maneat."

„Iuva igitur et illam et me, tuamque domum absque nota conserva. Nec me putes ingratum. Scis, apud Caesarem quanti sim. Quidquid petieris, impetratum tibi efficiam et hoc ante omnia tibi polliceor, doque fidem, palatinum te comitem futurum, omnemque tuam posteritatem hoc titulo gavisuram. Ego tibi Lucretiam, meque et nostrum amorem et famam nostram et tui generis decus committo,[7]) tuaeque mando fidei Tu arbiter es; omnia haec in te sita sunt. Vide, quid agas; et servare potes ista et perdere."

Subrisit his Pandalus, factaque morula: „noram haec Euryale," dixit, „et utinam non accidissent; sed eum in locum, sicut abs te dictum est, res rediit, ut necesse sit, me, quod iubes, efficere, nisi et nostrum genus affici contumeliis et scandalum ingens cupiam exoriri. Ardet mulier, sicut dixisti et impotens sui est; nisi occurro, ferro se fodiet, aut ex fenestris se dabit praecipitem. Nec vitae iam sibi, nec honoris est cura."

---

[1]) Plaut. Aul. IV. 10; 73. Ter. Andr. V. 2; 4. — [2]) Ter. Andr. III 3; 37—39. — [3]) Iuv. VI. 82. 83. (Iuv. IV. 113. VI. 105. 110. 112. 113.) — [4]) Conf. Ter. Phor. 7; (8;) 18. — [5]) Conf. Sen. Her. fur. 745. — [6]) Conf. Plaut Stich. I. 2; 63. — [7]) Ter. Heaut. II. 3; 110. 111.

„Ipsa mihi suum ardorem patefecit. Restiti, increpavi, lenire flammam studui, nihil profeci. Omnia, praeter te, parvi facit. Nihil, nisi te, curat. Tu illi semper in mente sedes; te petit, te desiderat,[1]) te solum cogitat. Saepe, me vocitans, „audi precor Euryale," dixit.[2]) Sic mulier ex amore mutata est,[3]) ut iam non eadem videatur. Heu pietas, heu dolor![4]) Nulla prius in urbe tota vel castior, vel prudentior, Lucretia fuit. Mira res, si tantum iuris natura dedit amori in mentes humanas. Medendum est huic aegritudini; nec alia cura est, nisi quam tu monstrasti. Accingam me huic operi, teque, dum tempus erit, commonefaciam.[5]) Nec ex te gratiam quaero, quia non est officium boni viri, cum is nil promereatur, gratiam poscere. Ego, ut vitem infamiam nostrae imminentem familiae, hoc ago; quod, si tibi conducit, non propterea sum praemiandus."

„At enim," Euryalus inquit, „ego vel sic tibi gratiam habeo, ut creari te comitem, ut dictum est, faciam; tu modo dignitatem istam mihi non spernas."

„Non sperno," inquit Pandalus, „sed, ne hinc profecta sit, volo. Si ventura est, libere veniat.[6]) Nihil ego conditionale facio. Si potuisset hoc, te nesciente fieri, mea ut opera apud Lucretiam esses: libentius id egissem. Vale!"

„Et tu vale!" retulit Euryalus. „Postquam animum reddidisti, fac, finge, inveni, effice[7]) ut simul simus."

„Laudabis,"[8]) inquit Pandalus, laetusque abiit, quod tanti viri gratiam invenisset; tum, quia se comitem fore iam sperabat, cuius dignitatis tanto erat cupidior, quanto se minus cupere demonstrabat. Sunt enim homines quidam ut mulieres, quae cum maxime nolle dicunt: tunc maxime volunt.[9]) Hic lenocinii mercedem sortitus est: comitatum et auream bullam suae nobilitatis posteritas demonstrabit.

In nobilitate multi sunt gradus, mi Mariane et sane, si cuiuslibet originem quaeras, sicut mea sententia fert: aut nullas nobilitates invenies, aut admodum paucas, quae sceleratum non habuerint ortum. Cum enim hos dici nobiles videamus, qui divitiis abundant, divitiae vero raro virtutis sunt comites:[10]) quis non videt, ortum nobilitatis esse degenerem. Hunc usurae ditaverunt, illum spolia, proditiones alium. Hic veneficiis ditatus est, ille adulationibus. Huic adulteria lucrum praebent; nonnullis mendacia prosunt. Quidam faciunt ex coniuge quaestum, quidam ex gnatis. Plerosque homicidia iuvant. Rarus est, qui iuste divitias congreget.[11]) Nemo fascem amplum facit, nisi qui omnes metit herbas. Congregant homines divitias multas, nec unde veniant, sed quam multae veniant, quaerunt. Omnibus hic versus placet: „unde habeas, quaerit nemo, sed oportet

---

[1]) Ter. Eun. I 2; 113—115. — [2]) Conf. Ov. Her. VIII. 115. 116. — [3]) Ter. Eun. II. 1; 19. 20. — [4]) Conf. Mart. Epig. VIII. 78; 4. — [5]) Conf. Ter. Eun. III 1; 4. 5. — [6]) Conf. Ov. Her. II. 62. — [7]) Conf. Ter. Andr. II. 1; 34. — [8]) Ter. Heaut. II. 3; 135 — [9]) Ter. Eun. IV. 7; 43. Ov. Ars I. 274. — [10]) Conf. Ov. Ars II. 277. Horat. Sat. II. 3; 94—97. — [11]) Conf. Iuv. X. 23—25.

habere."[1]) Postquam vero plena est arca, tunc nobilitas poscitur, quae, sic quaesita, nihil est aliud, quam praemium iniquitatis.

Maiores mei nobiles habiti sunt, sed nolo mihi blandiri; non puto meliores fuisse proavos meos aliis, quos sola excusat antiquitas, quia non sunt in memoria eorum vitia. Mea sententia nemo nobilis est, nisi virtutis amator. Non miror aureas vestes, equos, canes, ordinem famulorum, lautas mensas, marmoreas aedes, villas, praedia, piscinas, iurisdictiones, silvas, — nam et haec omnia stultus assequi potest, quem, si quis nobilem dixerit: ipse fiet stultus. Pandalus noster lenocinio nobilitatus est.

Non multis post diebus rure, inter Menelai rusticos, rixatum est et occisi nonnulli, qui plus aequo biberant, opusque fuit, ad res componendas, Menelao proficisci.[2]) Tum Lucretia:

„Mi vir," inquit, „gravis es homo, debilisque; equi tui graviter incedunt; quare gradarium aliquem recipe commodatum." Cumque ille percunctaretur, ubi nam esset aliquis, —

„Optimum," inquit Pandalus, „nisi fallor, Euryalus habet et tibi libens concedit, si me vis petere."

„Pete," inquit Menelaus.

Rogatus Euryalus, mox equum iussit adduci, idque sui gaudii signum recepit; secumque tacite dixit:

„Tu meum equum ascendes Menelae, ego tuam uxorem equitabo."

Conventum erat, ut nocte ad horam quintam, in vico Euryalus esset, speraretque bene, si cantantem Pandalum audiret.



---

[1]) Iuv. XIV. 207. — [2]) Ov. Her. XVII. 155.

Abierat Menelaus, iamque coelum noctis obduxerant tenebrae. Mulier in cubili tempus manebat, Euryalus ante fores erat, signumque morabatur; nec cantum audiebat, nec screatum. Iam praeterierat hora et, ut abiret Euryalus svadebat Achates, delusumque dicebat. Durum erat amanti recedere et nunc unam, nunc aliam causam manendi quaerebat. (Conf. Ter. Eun. III. 3; 6.)

Non canebat Pandalus, quia Menelai frater domi manserat et omnes aditus scrutabatur, ne quid insidiarum fieret, noctemque trahebat insomnem. Cui Pandalus:

„Nunquamne hac nocte cubitum ibimus? Iam nox medium poli transscendit axem et me gravis occupat somnus. Miror te, cum iuvenis sis, senis habere naturam, quibus siccitas somnum auffert, nunquam dormiunt, nisi paululum prope diem, dum currus volvitur septemtrionalis Helices, cum iam tempus esset surgendi. Eamus tamen tandem dormitum. Quid tibi haec volunt vigiliae?"

„Eamus," inquit Agamemnon, „si tibi sic videtur: antea tamen inspiciendae sunt fores, an satis firmatae sint, ne furibus pateant." Veniensque ad ostium, nunc unam, nunc aliam seram admovit et pessulum addidit. Erat illic ingens ferrum, quod vix duo poterant elevare, quo nonnunquam ostium claudebatur; quod, postquam Agamemnon movere non potuit,

„Iuva me," inquit, „Pandale, admoveamus ferrum hoc ostio, ne fures subeant; tum dormire in utramvis aurem otiose poterimus."[1])

Audiebat hos sermones Euryalus et: „actum est," tacitus ait, „si hoc ferramentum adiungitur." Tum Pandalus:

„Quid tu paras Agamemnon? Tanquam domus obsidenda sit, firmare ostium paras. An tuti sumus in civitate?[2]) Libertas hic est et quies omnibus eadem, cum hostes procul sunt, quibuscum bella gerimus, Florentini. Si fures times, sat clausum est: si hostes, nihil est, quod in hac domo te possit tueri. Ego hac nocte non subibo hoc onus, quia scapulas doleo et infra sum fractus, nec gestandis oneribus sum idoneus. Aut tute leva, aut sine."

„Vah! satis est,[3]) inquit Agamemnon, dormitumque cessit. — Tum Euryalus:

„Manebo hic adhuc horam," ait, „si forte quis adaperiat."

Taedebat Achatem morae, tacitusque maledicebat Euryalo, qui se tamdiu retineret insomnem. Nec diu mansum est, tum per rimulam visa est Lucretia, parvum quid luminis secum ferens; versus quam pergens Euryalus:

„Salve, mi anime,[4]) Lucretia," dixit. At illa exterrita, fugere primum voluit. Exinde rogitans: „quis tu es vir?" ait.

„Euryalus tuus," inquit Euryalus. „Aperi mea voluptas, iam mediam noctem te hic operior."

Agnovit Lucretia vocem, sed quia simulationem timebat, non prius ausa aperire, quam secreta, tantum inter se nota, percepit.

[1]) Conf. Heaut II. 3; 101. (vers. 342.) — [2]) Conf. Ov. Am. I. 6; 28—30. — [3]) Conf. Ter. Andr. I. 1; 143. 144. — [4]) Ter. Heaut II. 4; 26.

Post haec magno labore seras removit; sed quia plurima ferramenta fores retinebant, quae manus feminea ferre non poterat:[1]) ad semipedis duntaxat amplitudinem ostium patuit



„Nec hoc," ait Euryalus, „obstabit;" extenuansque corpus per dexterum latus[2]) intro se coniecit,[3]) mulieremque mediam amplexatus est. Achates foris in excubiis mansit.

Tum Lucretia, sive timore nimio, sive gaudio, exanimata: inter Euryali deficiens brachia, pallida facta est et, amisso verbo ac oculis clausis, per omnia similis mortuae videbatur, nisi, quod adhuc calor, pulsusque manebant. Exterritus Euryalus subito casu, quid ageret, nesciebat; secumque:

„Si abeo," inquit, mortis sum reus qui feminam in tanto discrimine deseruerim.[4]) Si maneo, interveniet Agamemnon, aut alius ex familia et ego peribo. Heu! amor infelix, qui plus fellis, quam mellis habes.[5]) Non tam absinthium est amarum, quam tu. Quot me iam discriminibus obiecisti? quot mortibus meum caput devovisti? Hoc nunc restabat, ut meis brachiis feminam exanimares. Cur me non potius interemisti? Cur me leonibus non obiecisti? Heu! quam optabilius erat, in huius me potius gremio, quam istam in meo sinu defecisse!"

Vicit amor virum, abiectaque propriae cura salutis, cum femina mansit, elevansque altius mutum corpus atque deosculans, madidus lachrimis:

[1]) Ov. Her. VIII. 6. — [2]) Ov. Am. I. 6; 3. 4. — [3]) Ter. Heaut. II. 3 36. — [4]) Conf. Ter. And I. 3; 4. 5. — [5]) Conf. Iuv. VI. 181.

„Heu! Lucretia," inquit, „ubi nam gentium es? ubi aures tuae? cur non respondes? cur non audis? Aperi oculos, obsecro, meque respice. Arride mihi, ut soles. Tuus hic Euryalus assum, tuus te amplectitur Euryalus. Mi anime! Cur me non contrabasias? Mi cor! obisti, an dormis? ubi te quaeram? cur si mori volebas, non me monuisti, ut occidissem me una?[1]) Nisi me audis, en! iam latus meum aperiet gladius[2]) et ambos habebit exitus unus. Ah! vita mea, svavium meum, deliciae meae, spes unica, integra quies! Siccine te, Lucretia, perdo? Attolle oculos, eleva caput! Nondum mortua es. Video, adhuc cales, adhuc spiras. Cur mihi non loqueris? sic me recipis? ad haec me gaudia vocas? hanc mihi das noctem? Assurge, rogo, requies mea! Respice tuum Euryalum! Assum tuus Euryalus!"

Ac sic fatus, lacrimarum flumen super frontem et mulieris tempora fluit,[3]) quibus, tamquam rosarum aquis, excitata mulier, quasi de gravi somno surrexit, amantemque videns:

„Heu me!" inquit," Euryale, ubi nam fui? cur me non potius obire sivisti? Beata iam moriebar in tuis manibus. Utinam sic decederem, antequam tu hac urbe discederes."

Quum sic invicem fantur, in thalamum pergunt, ubi talem noctem habuerunt, qualem credimus inter duos amantes fuisse, postquam navibus altis raptam Helenam Paris abduxit, tamque dulcis nox ista fuit, ut ambo negarent, tam bene inter Martem Veneremque fuisse.[4])

„Tu meus es Ganymedes, tu meus Hippolytus, Diomedesque meus," dicebat Lucretia.

„Tu mihi Polyxena es," Euryalus referebat; „tu mihi Aemilia, tu Venus ipsa." Et nunc os, nunc genas, nunc oculos commendabat; elevataque nonnunquam lodice, secreta,[5]) quae non viderat antehac, contemplebatur et:

„Plus," dicebat, „invenio, quam putaram.[6]) Talem lavantem vidit Actaeon in fonte Dianam.[7]) Quid his membris formosius, quid candidius? Iam redemi pericula. Quid est, quod propter te non debeat sustineri? O pectus decorum, o papillae praenitidae! Vosne tango, vosne habeo, vosne meas incidistis manus? O teretes artus! O redolens corpus! Tene ego possideo? Nunc mori satius est quando hoc gaudium est recens; ne qua interveniat calamitas!"[8])

„Anime mi! teneo te, an somnio?[9]) Verane ista voluptas est, an extra mentem positus,[10]) sic reor? Non somnio, certe vera res agitur.[11]) O svavia basia, o dulces amplexus, o mellitlui morsus! Nemo me felicius vivit, nemo beatius."

---

[1] Conf. Verg. Aen. IV. 678. 679. — [2]) Conf. Ovid. Her. X. 88. — [3]) Conf. Ov. Her VIII. 62 — [4]) Conf. Martial. Epig XI. 26; 6. — [5]) Conf. Prop I. 4; 13. 14. — [6]) Conf. Ov. Her. XVI. 145. — [7]) Conf. Ov. Met. III. 173. seq. — [8]) Conf. Ter. Adel. III. 2; 14. Andr. V. 5; 5. — [9]) Conf. Ter. Andr. V. 6; 7. 8. — [10]) Conf. Sen Herc. fur. 354. — [11]) Iuv. IV. 35.

„Sed heu! quam veloces horae. Invida nox, cur fugis? Mane Apollo, mane apud inferos diu! Cur equos tam cito in iugum trahis? sine, ut plus graminis edant. Da mihi noctem, ut Alcmenae[1]) dedisti! Cur tu tam[2]) repente Tithoni tui cubile relinquis Aurora? Si tam illi grata esses, quam mihi Lucretia, haud tam mane surgere te permitteret. Nunquam mihi nox visa est hac brevior,[3]) quamvis apud Britannos Dacosque fuerim."

Sic Euryalus; nec minora dicebat Lucretia. Nec osculum, nec verbum irrecompensatum praeteriit. Stringebat hic, stringebat illa. Nec post Venerem lassi iacebant,[4]) sed, ut Antaeus ex terra validior resurgebat:[5]) sic, post bellum alacriores isti, robustioresque fiebant.

Nocte peracta, cum crines suos ex Oceano tolleret Aurora, discessum est, nec post multos dies redeundi copia fuit, crescentibus dietim custodiis; sed omnia superavit amor, viamque tandem conveniendi reperit, qua se usi amantes sunt.



Interea Caesar. qui iam Eugenio reconciliatus erat, Romam petere destinavit. Sensit hoc Lucretia; quid enim non sentit amor? aut quis fallere possit amantem?[6]) Sic igitur Lucretia scripsit Euryalo:

---

[1]) Hyg fab. 29. — [2]) Conf. Ov. Her. XVIII. 105.—114. — [3]) Conf. Ov. Am. I 13; 3. 38—40. — [4]) Conf Ov. Am. I. 5; 25. — [5]) Lucan. IV. 641--653. — [6]) Verg Aen. IV. 296.

„Si posset animus meus irasci tibi,[1]) iam succenserem, quod abiturum te dissimulasti: sed amat te, quam me magis spiritus meus, nullaque potest ex causa adversus te moveri. Heu mi cor! quid est, quod mihi Caesarem non dixisti recessurum? Ille itineri se parat, nec tu hic manebis; scio. Quid obsecro, de me fiet? quid agam misera? ubi requiescam? Si me relinquis, non vivo biduum. Per ergo has litteras, meis lacrimis madidas, perque tuam dexteram et datam fidem,[2]) si de te quidquam merui,[3]) aut fuit tibi quidquam dulce mecum[4]) miserere, oro, infelicis amantis."[5])

„Non peto, ut maneas, sed tolle me tecum. Fingam me vesperi Bethlehem petere velle, unicamque recipiam anum. Assint illic duo, tresve famuli ex tuis, meque rapiant. Nihil negotii est, volentem eripere. Nec tibi dedecori puta, nam filius Priami coniugem sibi raptu paravit."[6])

„Non iniuriaberis viro meo; is enim omnino me perditurus est.[7]) Namque, nisi me abducas, mors illi me aufferet. Sed noli tu esse crudelis, meque morituram relinquere, quae te pluris semper, quam me feci."



Ad haec Euryalus in hunc modum rescripsit:

„Celavi te usque nunc, mea Lucretia, ne te nimium afflictares,

[1]) Ov. Her. XVII. 35 — [2]) Ter. And I. 5; 54. 55. — [3]) Ov Met. VII. 854. — [4]) Verg. Aen. IV 314. 317. 318. — [5]) Sen. Hip. 671. — [6]) Ov. Her. V. 132. — [7]) Conf. Ov. Her. XVII. 110.

antequam tempus esset. Scio mores tuos. Novi, quia te nimis crucias. Nec Caesar sic recedet, ut non sit reversurus. Ex Vrbe, postquam reverterimus, hac iter est nobis in patriam. Quodsi Caesar aliam viam fecerit, me certe, si vixero, reducem videbis.[1]) Negent mihi patriam superi, errabundoque me similem reddant Vlixi, nisi huc revertar. Respira ergo mi anime, sumeque vires; noli te macerare, quin vive potius laeta."

„Quod dicis de raptu, esset mihi tum gratissimum, tum iucundissimum; nec maior mihi voluptas praestari posset, quam te semper mecum habere ac meo ex arbitrio potiri. Sed consulendum est magis honori tuo, quam meae cupiditati. Exigit namque fides tua, qua me complexa es, tibi ut consilium fidele praebeam et quod in rem sit tuam."

„Tu te scis praenobilem esse et in clara familia nuptam. Nomen habes tum pulcherrimae, tum pudicissimae mulieris; nec apud Italos solum tua fama clauditur, sed et Teutones et Pannonii et Bohemi et omnes septemtrionis populi tuum nomen agnoscunt. Quodsi ego te rapiam, mitto decus meum, quod tui causa flocci faciam? Qua ignominia tuos afficeres necessarios? Quibus doloribus matrem pungeres? Quid de te diceretur? Quis rumor exiret in orbem! „Ecce Lucretiam, quae Bruti coniuge castior, Penelopeque melior dicebatur: iam moechum sequitur, immemor domus, parentum et patriae. Non Lucretia, sed Hippia[2]) est, vel Iasonem secuta Medea!" Heu me! quantus moeror haberetur, cum de te talia dici sentirem!

„Nunc amor noster clam est, nemo te non laudat. Rapina turbaret omnia; nec unquam tam laudata fuisti, quam tunc vituperareris. Sed, mittamus famam. Quid, quum nos amore nostro perfrui non valeremus? Ego Caesari servio; is me virum fecit potentem, divitem; nec ab eo recedere possum, sine mei status ruina. Quodsi eum desererem, non quirem te decenter habere.[3]) Si curiam sequerer, nulla quies esset. Omni die castra movemus; nusquam Caesari tanta mora fuit, quanta nunc Senis; idque belli necessitas fecit."

„Quodsi te circumducerem et, quasi publicam feminam, in castris haberem: vide, quam esset mihi et tibi decorum? His ex rebus te obsecro, mea Lucretia, mentem ut istam exuas, honorique consulas. Nec furori magis, quam tibi blandiaris. Alius fortassis amator aliter svaderet et ultro te fugere precaretur, ut te, quamdiu posset, abuteretur, nihil futuri providus, dum praesenti satisfaceret aegritudini. Sed is non esset amator verus, qui libidini magis, quam famae consuleret."

„Ego, mea Lucretia, quod frugi est, moneo. Mane hic, te rogo; nec me dubita rediturum. Quidquid apud Etruscos incumbet agendum Caesari: mihi committi curabo, daboque operam, ut te frui, absque tuo incommodo possim."

---

[1]) Conf. Ter. Heaut. II. 4; 18. — [2]) Conf. Iuv. VI. 82. seq. — [3]) Conf. Ov. Rem. 749.

„Vale, vive, ama; nec meum, quam tuus est, ignem putato minorem, aut me non invitissimum hinc abscedere. Iterum vale mea svavitas et animae cibus meae.“

Acquievit his mulier et imperata facturam rescripsit.

Paucis post diebus Euryalus cum Caesare Romam perrexit; nec diu moratus illic, febribus est incensus. Infelix penitus; qui cum arderet amore, febriumque coepit ignibus aestuare, cumque iam vires amor extenuasset,[1]) adiectis morbi doloribus: parum supererat vitae, tenebaturque spiritus medicorum remediis potius, quam manebat. Caesar dietim ad eum veniebat et, quasi filium, solabatur, omnesque curas Apollinis adhiberi iubebat. Sed nulla fuit valentior medela, quam Lucretiae scriptum, quo viventem illam et sospitem cognovit; quae res aliquantisper febres imminuit. Euryalumque surgere in pedes fecit, qui et coronationi Caesaris interfuit ac ibi militiam suscepit et aureum calcar.

Post haec, cum Caesar Perusium peteret, is Romae mansit, nondum ex integro sanus. Exinde Senas venit, quamvis adhuc debilis, extenuatusque facie. Sed intueri potuit, non alloqui Lucretiam. Epistolae plures utrimque missae sunt, rursusque de fuga tractatum est. Triduo illic mansit Euryalus. Demum, cum sibi aditus omnes videret ereptos: recessum eius amanti renuntiavit. Nunquam tanta dulcedo in conversando fuit, quanta in recedendo moestitia.

Erat in fenestra Lucretia. Per vicum iam Euryalus equitabat. Humidos oculos alter in alterum iecerat. Flebat unus, flebat alter: ambo doloribus urgebantur, ut qui suis ex sedibus cor evelli violenter sentiebant.

Vt si quis, in obitu, quantus sit dolor, ignorat: duorum amantum separationem consideret, quamvis maior hic anxietas inest et cruciatus ingentior. Dolet animus in morte, quia corpus relinquit amatum. Corpus, absente spiritu, nec dolet, nec sentit. At, cum duo invicem, conglutinati per amorem, unius sunt animi, tanto poenosior est separatio, quanto sensibilior est uterque dilectus. Et hic sane non erant spiritus duo, sed, quemadmodum inter amicos putat Aristophanes:*) unius animae duo corpora facta erant. Itaque non recedebat animus ab animo, sed unicus animus scindebatur in duos, tum cor in partes dividebatur; mentis pars ibat et pars remanebat et omnes invicem sensus disgregabantur et a se ipsis discedere flebant.

Non manebat in amantium faciebus sangvinis gutta. Nisi lacrimae fuissent et gemitus, simillimi mortuis videbantur. Quis scribere, quis referre, quis cogitare posset illarum mentium molestias: nisi qui aliquando insanivit.

---

[1]) Conf. Ov. Am. I. 6; 5. Ars I 735 — *) Aristoteles his utitur verbis in: Eudemior. VII. 6. (vide & Diog. Laert l IV. de Aristotele) non autem Aristophanes.

Laodamia, recedente Protesilao[1]) et ad sacras Ilii pugnas eunte: exsangvis cecidit. Eadem, postquam viri mortem agnovit: vivere, amplius non potuit. Dido Phoenissa[2]) post fatalem Aeneae recessum, se ipsam interemit. Nec Portia, post Bruti necem, voluit superesse.[3])



Haec nostra, postquam Euryalus ex visu recessit, in terram collapsa, per famulas recepta est,[4]) cubilique data, donec resumeret spiritum. Vt vero ad se rediit, vestes aureas, purpureasque et omnem[5]) laetitiae ornatum reclusit, pullisque tunicis usa. Nunquam posthac cantare audita est, minimeque visa ridere; nullis facetiis, nullo gaudio, nullisque unquam iocis, in laetitiam potuit revocari. Quo in statu, dum aliquamdiu perseverat: aegritudinem incidit et, quia cor suum aberat, nullaque menti consolatio dari poterat: inter multum plorantis brachia matris ac collacrimantes et frustra consolatoriis verbis utentes necessarios, indignantem animam exhalavit.[6])

Euryalus, postquam ex oculis, nunquam amplius se visuris, abiit:[7]) nulli inter eundum locutus, solam in mente Lucretiam gerebat et, an unquam reverti posset, meditabatur, venitque tandem ad Caesarem Perusii manentem, quem deinde Ferrariam, Mantuam, Tridentum, Constantiam et Basileam secutus est ac demum in Hungariam

[1]) Ov. Her. XIII. 23. 24. Ex Ponto III. 1; 100. Remed 724. Met. XII. 67. 68. Catull. 68; 74 Serv. ad. Verg. Aen. VI. 447. — [2]) Verg. Aen. IV. 391. seq. 663—665. Ov. Her. VII. 195. 196. De his maritatis vide Hieron. I. I. advers. Iovin. (op. t. II. p. 35. ult. et p. 36. Edit. Tribechovii Francof. 1684. — [3]) Martial. Epig I. 43; 2—5. — [4]) Verg. Aen IV. 391. Ov. Her. II. 130. — [5]) Conf. Sen. Hip. 387. seq. — [6]) Conf. Verg Aen. XI. 831. — [7]) Ov. Her. II. 99.

et Bohemiam. Sed, ut ipse Caesarem: sic eum Lucretia sequebatur in somnis, nullamque noctem sibi quietam permittebat, quam, ut obiisse verus amator cognovit: magno dolore permotus, lugubrem vestem recepit, nec consolationem admisit, nisi postquam Caesar, ex ducali sangvine, virginem sibi, tum formosam, tum castissimam, atque prudentem, matrimonio iunxit.

Habes amoris exitum, Mariane mi amantissime, non ficti, neque, felicis; quem, qui legerint, periculum ex aliis faciant, quod sibi ex usu fiet;[1]) nec amatorium poculum bibere studeant, quod longe plus aloës habet, quam mellis.[2]) Vale.

Ex Vienna, quinto nonas Iulias, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto.

Explicit opusculum Aeneae Sylvii de duobus amantibus.

---

[1]) Ter. Heaut. I. 2; 36. II. 1; 9. — [2]) Iuv. VI. 181. conf. Ov. Ars II. 519.

Aeneae Sylvii epistolae quaedam acutae.

Epistola 15. (Num. cur. 48.)

Aeneas Sylvius poeta, genitori suo Sylvio salutem!

Laeteris, an doleas, quod mihi sobolem Dominus dederit, incertum te scribis, pater. At, ego laetitiae causam video, doloris non video. Quid enim dulcius in humanis est, quam gignere sibi similem, tamquam extendere sangvinem et habere, quem post te relinquas? Quod in terris beatius, quam natos videre natorum? Mihi equidem ingens voluptas est, quod semen meum foeticaverit, quodque, antequam moriar, aliquid de me supersit; gratiasque Domino refero, qui partum feminae figuravit in marem, ut apud te patrem, meamque matrem, aliquis parvus ludat Aeneas et solatia praestet avis, quae debebat pater impendere. Quod si tibi, genitor gaudio fuit meus ortus, cur filius meus mihi non sit laetitiae?

Anne te quoque laetificabit infantuli vultus, cum meam videbis in illo effigiem? Numquid tibi iucundum erit, cum parvulus pendebit ex collo Aeneas? puerilesque blanditias agitabit? Sed ais fortasse, dolere meum crimen, quod ex peccato genuerim filium. Nescio, quam de me finxeris tibi opinionem. Certe nec lapideum, nec ferreum genuisti filium, cum esses tu carneus. Scis, qualis tu gallus fueris. At nec ego castratus sum, neque ex frigidorum numero. Nec sum hypocrita, ut videri bonus, quam esse velim. Fateor ingenue meum erratum, quia nec sanctior sum David rege, nec Salamone sapientior. Antiquum et vetus est hoc delictum, nec scio, quis hoc careat. Late patet haec pestis, si pestis est naturalibus uti, quamquam non video, cur tantopere damnari coitus debeat, cum natura, quae nihil perperam operatur, omnibus ingenuerit animantibus hunc appetitum, ut genus humanum continueretur.

Sed dicis, ut arbitror, certos esse limites, intra quos hoc liceat, nec extra legitimas matrimonii faces progrediebat hic appetitus. Ita est sane et saepe inter ipsa nuptiarum claustra scelus admittitur. Et bibendi quoque, comedendi et loquendi certi sunt termini, sed quis servat illos? „Quis tam iustus, ut septies in die non cadat?“ loquatur hypocrita, seque nullius culpae scium dicat: „ego nullum meritum in me scio, solaque mihi divina pietas spem facit misericordiae, quae nos labiles scit et ad lasciviam proclives, nec nobis, qui patet omnibus, fontem veniae claudet.“

Sed de hoc satis. Nunc, quia coniecturas petis, ne alienum pro me nutrias, quomodo res se habuerit, paucis exponam.

Nondum anni duo effluxerunt ex eo tempore, quo Argentinae gerebam oratoris munus. Quinquagesima tunc currebat, quae ante proximam praeteritam fluxit Ibi cum otiosus diebus essem pluribus, mulier ex Britannia veniens, diversorium meum petens, in unis aedibus mecum fuit; non invenusta, nec aetate confecta. Haec, quia sermonem italicum egregie norat, me verbis salutabat hetruscis, quod illa in regione tanto magis placuit, quanto rarius erat. Oblectatus sum

facetiis feminae, cuius in ore maximus lepor erat. Moxque in mentem venit Cleopatrae facundia, quae non solum Antonium, sed Iulium quoque Caesarem eloquentia inescavit. Mecumque: „quis reprehendet, inquam, si ego homuntio faciam, quad maximi viri non sunt aspernati!" Interdum Moysen, interdum Aristotelem, nonnunquam Christianos in exemplum sumebam.

Quid plura? vicit cupido, incalui, mulierem arsi, multisque blandimentis adorsus sum. Sed ut asperis cantibus unda repellitur freti, sic verba mea haec contempsit, triduoque suspendit. Erat illi filiola annorum quinque, quam Milinthus pater hospiti nostro commendaverat, verebaturque mulier, ne quid hospes persentiret, filiamque posthac, quasi moris materni, abdicaret.

Instabat nox, sequentique die mulier recessura erat; timeo, ne abeat praeda. Rogo, in noctem ne ostio camerae pessulum obdet: dico, me intempesta nocte venturum: negat, nec spem ullam facit. Insto, semper idem responsum est. Itur dormitum. Mecum ego: quid? sciam, an illa, ut iussi, fecerit. Recordor Zimae Florentini; forsitan illius amicam haec imitabitur. Temptandum est, inquam.

Postquam silentium undique sentio: thalamum mulieris accedo. Clausum ostium est, sed non obfirmatum; aperio, ingredior, muliere potior: hinc natus est filius!

Mulier Elisabeth vocatur. Ex Idibus Februarii usque ad alias Idus Novembris, menses currunt, qui partui dantur. Haec mihi dixerat mulier, dum Basileae postea erat. Ego, quamvis ipsam non pecunia ulla, sed maximis emissem precibus, (ut est ars feminarum,) credebam haec auri corrodendi causa dici, nec verbis praebui fidem. Nunc. quia eam hoc asserere, quando nihil sperare a me potest, quando nomen convenit, tempusque: puerum meum puto, teque, mi pater, rogo: ut nepotem suscipias, alesque, donec grandiusculus factus, ad me valeat proficisci, meisque imbui disciplinis: ne puta, feminam divitem mentiri velle in filio.

Nunc alia porsequar. &c. Graetzii 20. Sept. 1443.

Epistola numeri currentis 130.

Ex collectione Georgii Voigtii in: „Archiv für Kunde österreichischer Geschichts-Quellen" t. XVI. pag. 358.

Aeneas Sylvius patri suo Sylvio Piccolomineo sal. plur. dicit &c. Credo namque ad te famam evolasse eius pestis, quae in Austria viget, in qua non minus cadunt homines quam in autumno poma. &c. Scripsisti mihi, iam duo sunt anni, *de filio mihi Florentiae nato* ex muliere, quae vocata est Elisabeth, sicut hodie festum currit illlius viduae sanctissimae. Ego tibi respondi multis coniecturis filiolum illum meum credere. Neque post aliquid scripsisti. Nescio an perierit, sicut et *alius in Scotia mihi natus* vitam exhalavit, ut fit quod plures agni quam oves moriuntur. &c.

Ex Pruck oppido Stiriae XIX. Novembris 1444.

Epistola 45. (Num. cur. 93.)

Quomodo uxor ducenda.

Aeneas Sylvius poeta, viro praestanti, fratrique colendo Petro Noxetano, s. p. d.

Magnas habeo gratias Campisio nostro, qui te mihi scribere compulit: sed maiores tu illi habere debes, qui eius opera ad te reversus est. Namque, cum soleres omnium esse humanissimus, diu extra te fueras, nihil mihi scribens. &c.

Sed accidit tibi credo non sinistre, quoniam bene moratam virginem sortitus es, quae tuis convenit moribus, quae non suam, sed ad tuam sit victura consvetudinem. Nec tu mihi de paupertate dixeris: uxorem namque ducturus, non aurum sed feminam sibi maritat; uxorem castam, formosam et foecundam volo, haec si assint, nihil plus exigo. Sunt, crede mihi, mi Petre, multa cum divitiis vitia. Aliae temulentae sunt, aliae superbae, contumaces, adulterae, maliloquae, nunquam viris pacem dant; aliae deformes, aegrotae, steriles; haec tua non habet mala.

Quid minimum quaeris, ubi sunt maxima; tute illam probas et solum accusas inopiam. Superis sit laus, quod tibi satis est, quodque officiis lucrosis praees. Marchio Saluciarum, ut nobilium et potentum fastidia fugeret, porcariam sibi puellam, quam in nemoribus, venationi dans operam, reperit, matrimonio sibi coniunxit: cuius vita omnes illustres feminas inferiores se fore monstravit. Quid tu dicas, aut agas, quoniam principes non verentur pauperis domus amplecti connubia.

Ego tibi, mi Petre, si sic est, ut dicis, si tibi morigera est puella et tuo gustui conveniens: non svadeo, ut nuptias protrahas. Tibi melius quam aliis evenit, qui periculum fecisti, antequam nuberes.

Alii saepe decepti sunt, uxores ducunt, antequam probent et esto viderint et faciem laudent. Multi sunt occulti defectus, qui post primos hymenaeos in lucem venientes, perpetuis cruciatibus, viros affligunt. Ego de me facio coniecturam; plures vidi, amavique feminas, quarum exinde potitus, taedium magnum suscepi, *nec, si maritandus fierem, uxori me iungam, cuius consvetudinem nesciam.* &c. Ex S. Vito, 16. Ianuarii 1444.

Epistola 50. (Num. cur. 98.)

Relegat continentiam ad philosophos.

Aeneas Sylvius poeta, s. p. d. Petro de Noxeto, scriptori apostolico et fratri amantissimo.

Satis ad te superioribus diebus scripsi, tum de mea erga te voluntate, tum uxore, quam eras ducturus. Nunc addendum nihil est, nisi quod te rogo, ut scribas successum rerum et an adhuc vir sies. Nam si sic est, dabo tibi onus, ut me quoque virum aliquando facias, si quid inveneris meae opinioni conveniens. Ego non intendo vitam omnem extra Italiam degere et adhuc *cavi, ne me sacer ordo involveret, timeo enim continentiam, quae,* licet laudanda sit, *verbis tamen, quam factis probabilior est et philosophis magis quam poetis conveniens.* &c. Ex Laibach 18. Februarii 1444.

Epistola 82. (Num. cur. 165.)

Fortunae qualitas cur non omnibus sit aequalis.

Aeneas Sylvius poeta, Ioanni Campisio, praestanti philosopho, s. p. d. Attulit. &c.

Tu Rhamnusiam[1]) arguis, quod tibi non multa largitur, tibique non arridet, uti plerisque indoctis ignavisque viris, sed vide, an bene facias, mihique saepius huius *deae, quam fortunam dicimus*, acta consideranti, altior quaedam cogitatio nata est, ut illam non coecam, sicut poetae finxerunt, esse censeam, sed admodum oculatam. Nam, quod aiunt, eam iniquam rerum huius saeculi dispensatricem, non video verum esse: dicunt enim, industrios homines paupertate gravari, ignavos autem, fortunae beneficio, maximas opes possidere. Sed mihi non sic videtur, ponamque in te exemplum. Ego te ditiorem puto; non dico Cosmo Medico, sed pluribus regibus. *Divitiae namque sunt lege naturae composita paupertas.*[2])

Ego scio, mi Ioannes, multo tibi plus videri triginta aureos, quam aliis quibusdam triginta milia. Fortuna igitur non ignara conditionis hamanae; quos videt aptos modico vivere, non curat in eos multa congerere, quin non indigent; at ignavi, nisi pecuniis abundent, despectui sunt obiecti, miseri, quibus cur vituperetur fortuna, subsidia praebens, haud scio.

Sint ergo contenti homines docti, si absque magnis opibus, magnam scientiam sunt adepti. Namque, si ex duobus alterum duntaxat habendum sit: nemo sapiens doctrinae divitias anteponat.

Petrum Noxetanum laudo, qui romanos calores et uxoris ignes fugiens, Florentiam perrexit, quamvis et uxor secuta fuerit. Res enim letifera est, in Augusto, si Romae sis, uxori operam dare ac propterea bene fecerunt veteres, qui sacerdotum curiam illic collocarunt, uxoribus enim carent. Curiam Caesaris, quam uxorati sequuntur, in septentrionem transferri par fuit.

Calvum tam commendo, quam Iuvenalis Ursidium: „si moechorum notissimus olim, stulta maritali iam porrigit ora capistro."[3]) &c. Fine anni 1445.

---

[1]) in Hop. stat: Ramnisiam. Nullibi inveni mentionem apud veteres autores. Perlustravi Strabonem, Lucianum, Pausaniam, Herodotum, Suidam, Lübker, Pape, autores hac in re gravissimos, sed frustra. Alex. ab Alexandro, in genial. dier. l. I. c. 13. (Edit. Tiraquelli, Lug. Bat. 1673. pag. 107.) unicus habet: „In Euboea quoque Rhamnis urbs fuit, in qua Fortunae templum habebatur maximum." Confunditur hic verisimiliter „Rhamnus" demos attica, ad aianticam Phylen pertinens, Strabo IX. edit. Casaub. p. 396. 399. cum Rhamnide, nullibi existente. Inveni locum superius citatum in: thesauri ling. lat. sive fori romani (Basil. 1576. Froben; praefat. est Alb. Burerus) t. III. p. 527. sub voce: Rhamnis. Porro; Rhamnus, Rhamnusia virgo. (Nemesis) ubi citat: Catul. Argon. 58. 79. perperam; sed carm. 64. v. 394—396. Certe Aeneas. Alexander et editor thesauri Rhamnusiam virginem — fortunam — esse crediderunt. Sed vide Pausan. VII. 5; 3 Ovid. trist. V. 8; 9. Aeneas 108 annis ante Alexandri nativitatem hic autem 1523. mortuus est. — [2]) Sen. ep. 4. — [3]) VI. 43.

Epistola 83. (Num. cur. 163.)

Consolatur amicum super fuga amicae.

Aeneas Sylvius poeta, domino Ioanni Freund, secretario insignis civitatis Coloniae, s. p. d.

Plura tibi per hos dies scripsi; si litteras meas suscepisti, laetus sum. quod si secus accidit, aegre fero. Multa enim ferunt, quae alienas manus incidere noluissem. Utcumque sit, pauca modo, ut me recipias, velim, amicorum more, qui tristia dolent et laeta gaudent, quae amicis accidunt.

Ioannes, secretarius nurenbergensis, vir bonus doctusque et tui amantissimus, ad nos iam reversus est, aitque te moestum reliquisse; nam et capitolina clades te affecerat. Nescio, quid ex Capitolio fugerit, quod animum conturbarit tuum. Is retulit, suo in recessu te adeo dolentem fuisse, ut ne verbum effari posses. Non enim intellexi virum. Dicebat enim: in Capitolio fuit, illuc ibat Ioannes saepe, delicias ibi habuit, aufugerunt, doluit, non inveniuntur. Nimis perplexe locutus est. Non potui, quid rerum esset, agnoscere; solum te moestum percepi, nec consolationem recipere velle.

Mi Ioannes, ego te virum esse novi; ubi iam mutatus es, quid est, quod te queat sic alienare? Viri est, sic suas rationes constituere, ut nihil novi possit accidere. Animadvertenda sunt omnia futura[1]) et praeparandus est animus ad ea ferenda, si accidant mala. Nam, quae praevisa sunt, minus ferunt iacula. Si amicus mortuus est, moriturum scire debebas. Si perditae opes sunt, sciendum erat, haec fortunae bona ad nutum fortunae ponenda fore. Si amica recessit, consideranda fuit instabilitas mulierum, quarum voluntas in horam mutatur. Nihil incertius animo femineo. Nullus amor feminae diu durat. Fallax est animal mulier, varium,[2]) crudele, absque fide, plenum dolis. Verum, cum omnibus infideles sunt feminae, senibus quidem infidelissimae sunt. Tu, mi Ioannes, in vesperam mecum pergis; nihil est, quod vel tibi, vel mihi cum feminis conveniat: derisui sumus et fabulae. Nulla nos sequitur, nisi quaestus causa. *Absit hoc maledictum a nobis genus,* quod et bursam exhaurit et animam occidit.

Nempe, mi Ioannes, si abiit femina: non te laesit, sed alium laesura recessit. Gaude, quia fugit. Ego haec dico, quia mihi sic videtur. &c. Ex Vienna, 20, Novemb. 1445.

Epistola 92. (Num. cur. 169.)

Increpat eum, qui non bono proposito amicam nuptui dedit et svadet castitatem.

Aeneas Sylvius poeta, imperialisque secretarius s. p. d. domino Ioanni Freund, insignis civitatis Agrippinae protonotario et amico suo percaro.

Pauci dies sunt, quibus tuas recepi litteras, ornatas quidem et multa continentes; quibus responsurus, nescio quid prius attingam: sed tuum servabo morem.

---

[1]) Conf. Ter. Adel. III. 3; 33. — Verg. Aen. IV. 570.

De puella tua primo dicam, quam viro tradidisti; laudo in ea re factum tuum. Quid enim melius est, quam nuptias coniungere, ex quibus soboles fiunt et replentur liberis civitates? Quod autem post factum doleas, contra naturam est. Nec enim solet alicuius operatio virtutis poenitentiam habere. Qui virtuose agit, laetus est; dolet qui crimen commisit. Quomodo ergo fit ut tu doleas, qui actum fecisti virtutis? Nempe arbitror, quia bonum fecisti, sed non bene fecisti. Adverbia sunt, mi Ioannes, quae nos beant, non verba, nomina, vel participia. Non quid homo faciat, sed quomodo faciat, quaerendum est et in omnibus finis exspectatur. (respiciatur?)

Si ideo puellam manifestasti, ut probro levaveris: bene fecisti, si etiam ad rem illam timor accessit Dei; at si solum quid homines loquerentur, considerasti: non satis est. Non enim hominibus tantum, sed Deo placere debemus. Quaeris remedia, nec poeticum vis antidotum. Recipe Evangelium. Quid est fornicatio aliud quam mors? Tu beatus es, si te cognoscis, qui materiam delinquendi a te abiecisti. Quiesce obsecro, neque ultra memineris tuae iuventutis delicta.[1]) Scio, dices: ecce quam severus est Aeneas; nunc mihi castitatem praedicat in Vienna (sic!!) et in nova civitate aliter mecum lequebatur. Non nego, Ioannes, mi amantissime, sed labitur tempus dietim; seniores sumus, appropinquat mortis dies;[2]) cogitandum est iam, non quomodo vivamus, sed quomodo moriamur. Miser homo est et gratiae Dei expers, qui non aliquando ad cor revertitur, qui non se recognoscit, qui vitam non emendat suam, qui non cogitat, post hoc saeculum quid in alio sit.

Ego, mi Ioannes, *satis erravi* et nimium satis. Iam me recognosco et utinam non tarde. Nunc quadragesimale adest tempus, nunc dies salutis, nunc tempus misericordiae. Pone extra mentem puellam: finge mortuam esse. Numquid velles vivere? quid est, quod cum ea possis habere solatii? Quam brevis est voluptas, quae cum mulieribus hauritur! quam momentaneum gaudium! An non satis stultus est, qui propter temporalia et momentanea perdit aeterna? Haec dico secundum theologos, quia non vis, quae poetae dicunt, audire. Hoc est remedium, quod hic in apothecis invenitur Viennae. Tu, obsecro, vendica te tibi, ne una te puella vincat, quem vix imperator superaret. Turpe est in parvis succumbere, qui in magnis victor fuit.

Nec tu mihi de successore novo verbum facias, quod fuit Ovidii remedium.[3]) Nam quid est, una muliere relicta, amare aliam, nisi ex igne in ignem saltare?

Fuge, obsecro, omne femineum genus: *relinque huiusmodi pestem. Cum feminam vides,* diabolum esse credito. Sed quid ego tecum haec serio? Scio, frustra me fari, verbis meis abesse fidem. Nam tu me, pleno stomacho, reris ieiunium commendare. Fateor, amantissime frater, plenus sum, stomachatus sum, *nauseam mihi Venus fecit.* Tum quoque *et illud verum est, langvescere vires meas.* Canis aspersus sum,

[1]) Psalm 25. 7. — [2]) Conf. Ov. Fast. VI. 771. 772. — [3]) Remed. amoris 462. conf. et 484—486.

aridi nervi sunt, ossa cariosa. rugis corpus aratum est; *nec ulli ego feminae possum esse voluptati, nec voluptatem mihi afferre femina potest. Baccho magis quam Veneri parebo. Vinum* me alit, me iuvat, me oblectat, me beat; *hic liquor svavis* mihi erit usque ad mortem. Sed hic quoque peccatum est, si ad iucunditatem magis, quam ad necessitatem biberim.

Tu, mi Ioannes, si fortis es, si sangvine succoque plenus, si nervis vales, non miror te amare: quamvis plurium te verborum esse credam, quam operum, si vel aetates vel occupationes vires demunt. Sed esto, ut ais, robustus, calidus, promptus, intrepidus, tunc bonum est, crimen abiicere cum tu illud relinquis, modo te ipsum fugit.

Mihi hercule! parum meriti est in castitate. Namque, ut verum fatear: *magis me Venus fugitat, quam ego illam horreo.* Sed ago Deo gratias, quia *non est maior* adpetitus quam potestas. &c. Ex Vienna 8. Martii 1446.

Epistola 106. (Num. cur. 174.)

Amoris illiciti medela.

Aeneas Sylvius poeta, Nicolao Vuartenburgensi, s. p. d.

Querebaris mecum nocte praeterita, quod amori operam dares, nec delibutum ac vincitum animum solvere posses. Dixisti, te nec virginem, nec nuptam, nec viduam amare: sed mulierem, quamvis pulchram, meretricem tamen, quibuslibet viris, pretii causa, sese substernentem. Id tibi molestum esse aiebas, libenterque amorem hunc velle te postergare, sed viam, modumque nescire, quo fieri liber et amore vacuus posses. Nam etsi plures sacerdotes consulueris: neminem tamen remedia, quae tibi viderentur efficacia, protulisse dicebas.

Rogasti igitur me, magnisque precibus efflagitasti, aegritudini tuae ut aliquam afferrem medelam ac iter ostenderem tibi, quo posses ardentis amoris flammas effugere.

Parebo desiderio tuo. Salubria praebebo tibi remedia, si ea amplecti volueris. Nec verebor medici culpam mihi adscribi, si tu obedientis aegroti personam susceperis; quamvis arbitror, quos consuluisti sacerdotes, satis tibi fecisse, si praecepta tenuisses, quae illi dederunt. Sed tibi visa fuerunt fortasse gravia. Nam, cum dicerent: fuge illam, nihil sibi loquaris, nihil de illa audias, — durum verbum visum est. Ac febricitans quoque invitus audit frigida pocula sibi negari; si tamen sanari vult: quod medicus mandat, diligenter observabit.

Tu ergo, mi Nicolae, si vis amorem evadere, liberque fieri: praepara te, ut, quae praecipiam, facias. Noscito aegrotum te fore maximaque infirmitate detentum et, propter sanitatem, dura et aspera esse subeunda. Nempe aegrotus est, mi Nicolae, omnis qui amat. Ac nedum aegrotus, sed servitute etiam captus atque insanus et amens; — de omore inquam illicito. Nam Deum colere et amare parentes, uxorem et liberos, virtutis est: non vitii — sanitatisque: non aegritudinis; at tu amorem illicitum sequeris.

Quid esse Amorem illicitum, de quo iam loquimur, credis?

Veteres putarunt illum ex Venere Vulcanoque natum puerum caecum, alatum, sagittas in manibus habentem, quibus viros ac mulieres feriens, ardorem dilectionis infunderet.

Apud Vergilium legimus:[1]) „nunc scio quid sit Amor; duris in cautibus illum Tmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes — nec generis nostri puerum nec sangvinis, — edunt.“ Sed error hic mortalis populi fuit, qui veritatem attingere non potuit. „Amor,“ ut in tragoediis inquit Seneca,[2]) „nihil aliud est, nisi vis quaedam magna mentis, blandusque animi calor iuventae; gignitur luxu, otio, et inter laeta fortunae bona nutritur.“ Hic mentem hominis eripit, iudicium omne pervertit, sensum hebetat, animum exstinguit. Namque, cum mulierem diligis, non in te, sed in illa vivis. Quid igitur peius est, quam viventem non vivere, quam sensum habentem non sentire, quam oculis praeditum non videre? Equidem qui amat, in alium mutatur virum; nec loquitur, nec, facit, quae ante solebat Hinc Parmeno apud Terentium:[3]) „dii boni, quid hoc morbi est? adeon homines mutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse.“ Putat comicus, morbum esse amorem; nec male putat: nam et apnd Macrobium[4]) luxuriam, quae vel mater Amoris est, vel filia, deterrimi morbi partem, Hippocrates esse dicit.

Hic morbus plerumque iuvenes aggreditur; sed viros quoque, senesque vexat, tantoque periculosior et risu dignior est: quanto persona, quae capta est, aetate aut scientia censetur praestantior.

Cum ergo, Nicolae, captus sis, amorique servias: scias te morbosum esse. Si morbosus es, liberari stude; nam quis morbum patitur, qui non curari velit? Sane, ut morbus gravior est, acerbior, periculosior, eo morbosi maior est de sanitate cura. Tua infirmitas magna est, sit et curae diligentia magna.

Cogita, mi Nicolae, quo in statu es. Tu nihil te existimas: quicquid tibi eveniat, leve est; solum super amica anxius es. Non parentes, non necessarios, non benefactores magnifacis. Solus tuus animus in amica est. Illam amas,[5]) illlam promoves, illam somnias. de illa cogitas, de illa loqueris, de illa suspiras; nihil agis, quin memoriam eius habeas. En stultitiam, amentiam, morbumque deterrimum! An non est petenda? Quis non hoc morbo sanari velit?

Caeterum, ad salutem tuam, haec sunt necessaria, Nicolae; quae si feceris, sanus eris: si neglexeris, sepelieris in morbo tuo, nec te quisquam iuvare poterit.

Cogita primum, quam remote a praeceptis Dei recessisti, qui, cum debeas Deum ex toto corde diligere: creaturam amasti et in ea omnem tuam delectationem posuisti; sic enim factus es idolorum cultor. Nam, qui creaturam Deo praeponit, idololatra est.

Negabis te idololatram esse, quasi non praeponas creatori creatum. At, si verum fateri vis, plus tuam amicam diligis, quam Deum.

[1]) Ecl. VIII. 43—45. — [2]) Octav. 557—565. — [3]) Eun. II. 1; 18—20. — [4]) Saturn. II. c. 8. edit. bip. t. I. p. 357. — [5]) Ter. Eun. I. 2; 113—115.

Nam, quae Deus mandat, negligis, postergas, contemnis: quae vult amica, summa cum diligentia curas adimplere et hoc nempe est praeferre mulierem Deo.

Heu! quam magnum est malum, quam periculosum, quam detestabile, creaturam sic amare, ut Deum parvifacias. Deus, cum esses nihil, te aliquid esse fecit, ut possis scire divina, sacra et viam, qua itur in coelum. Ipse quoque Deus, cum, ob culpam primi parentis, tu et caeteri homines paradisum amiseritis, nasci pro te voluit, fieri homo, capi, caedi, vituperari, crucifigi, mori ac suo te pretioso redimere sangvine. En! quam magna ingratitudo est, iniquitas, inhumanitas, feritas, — hunc, qui tanta pro te fecerit, propter vilem relinquere mulierculam. Hoc satis te, caeterosque Christianos movere debet, ab amoribus illicitis desistere et Deo soli servire.

Sed cogita ulterius, quid agis, Nicolae. Pulchra tibi videtur amica tua. Credisne, sic semper pulchra erit? Res est forma fugax, inquit tragoedos.[1]) Mulier quae hodie formosa est, cras deformis erit. Quid tua bona perpetua et immutabilia, pro caducis, mutabilibusque permutas? Sit, ut putas, spectabili forma mulier, leve hoc bonum est. Nihil forma mulieris est, nisi moribus adiuta. Castitas est, quae feminam laudat, non forma. Tu non castitatem sequeris, formam solum amas.[2]) Forma haec uti flos agri decidit. Rosa mane rubet, sero langvescit. Nihil formosius est virtute atque honestate: si hanc intuereris, multo tibi formosior videretur, quam tua sit amica. Etinem nec Lucifer, nec Hesperus tam decorus est, quam ipsa facies honestatis; quam qui relinquit propter mulierem: existima oro, quam sit delirus et amens.

Caeterum, Nicolae, ut tecum non multis utar: haec quam amas, mulier, non tua sola est, sed complures eam habent; nec ipsa te solum amat, sed alios quoque diligit. Quid tu in turba vis facere? Cogita, te iam esse in vespero, iam senem, iam morti proximum. Visne cum iuvenibus contendere? Vis cum robustis pugnare? Quid tibi in eo proelio quaeris, in quo victor succumbes? Magna res est, virum senem a iuvenibus extorquere mulierem. Sis tamen potens, ut extorqueas; quid vicisti, cum proelium huiusmodi sit, ut vincens succumbat?

Quid est, oro, *mulier, nisi iuventutis expilatrix, virorum rapina, senum mors, patrimonii devoratrix, honoris* pernicies, pabulum diaboli, ianua *mortis, inferni supplementum?* Cogita, Nicolae, quot mala per mulierem obvenerint, cum Salomo, cum Holofernes, cum Samson per mulierem decepti fuerint. Non te credas sic fortem esse, ut non illudaris. Sed, quanto viris illis debilior es, incautior, imprudentior: tanto te ab eo loco semove, in quo potes decipi. Nihil est mulieris amor. qui cum peccato fit. Non est in muliere stabilitas, quae nunc te amat, cras alium amabit. Quid tu hunc amorem existimas, qui in plures divisus? Nulla mulier tam fixe aliquem amavit, quae veniente novo proco, novisque precibus, vel muneribus, non mutarit amorem. Mulier est animal imperfectum, varium, fallax, multis morbis

[1]) Sen. Hip. 773. — [2]) Iuven. VI. 143. seq.

passionibusque subiectum, sine fide, sine timore, sine constantia, sine pietate.[1])

De his loquor mulieribus, quae turpes admittunt amores. Numquam hae stabiles sunt;[2]) namque ut semel a recto tramite recesserunt, iam se liberas arbitrantur, ut quocumque vagentur;[3]) nec amplius mariti, vel amici timorem habent.

Credo equidem, illam *coeundi foetidam voluptatem* tibi, quia iam senio exhaustus es, parum placere. Nam, quod nedum tibi antiquo et arido, sed iuveni humecto, *illa inepta et spurcida voluptas* conferre potest, quam mox poenitudo consequitur? An non magna res est admonitio illa ac citatio, sive communicatio quaedam, quae post peccatum e vestigio mentem hominis cruciat? Quam iniquus est homo, qui toties admonitus, non quiescit, qui punitus, non emendatur, qui correctus, non efficitur melior? Quid ille actus carnalis operatur, nisi carnis interitum? Vtinam solam carnem interimeret et non occideret animam! At, duo cum invicem coeunt, vir atque femina, *quasi duo vasa testea* mihi videntur, *quae inter se confricentur*, donec rumpantur et ad nihilum redigantur.

Tu tamen non in coitu, sed in visu sermoneque forsitan oblectaris. Quid in visu est tam pulchri, ut non invenias aliquid pulchrius? *Pulchritudo, quam debemus quaerere, in coelo est*, cui nulla potest res mundana comparari. In illa omnis perfectio est; mundana semper diminuta sunt; illa perpetua, haec caduca; illa fixa, haec fluxa. Hanc, quam tu miraris, formam: paulum quid febris eripiet, aut, si morbus abfuerit, senectus non deerit, quae illam teretem, succi plenamque faciem rugosam crispamque reddet. Sicut illa, quae nunc miraris, membra, decursu temporis arida, nigra, squalida, foetore ac spurcitia plena. Non oculi splendorem undique servabunt; foetebit os, collum incurvabitur, corpus undique sicco et arido trunco fiet simile.[1])

Cogita haec et averte spem; prius fuge, quam priveris. Multo enim melius est rem contemnere, quam perdere. Iam vero de sermone suo dulci, placido et mellifluo; quo te dicis oblectari, admodum miror. Quid enim sermo muliebris in se dulce habet?[5]) Quid dicit tibi amica? Nempe aut queritur, aut plorat, aut minatur, aut tibi inanes refert fabulas. Dicit quid cum vicina fecerit, quid somniaverit, quot ova gallina peperit, quibus floribus serta componantur. Omnis sermo mulieris de re vana, levique est. In quo qui oblectatur, et ipsum levem esse oportet. Narrat tibi nonnumquam et cum alio amatore et quo pacto iacuerit, quid doni receperit, quam coenam habuerit, quibus voluptatibus fuerit usa; quae res non gaudium tibi, sed cruciatum afferunt.

Sed accipe quae velis gaudia in sermone amicae; erisne amens, rationisque inops, ut non magis in alicuius docti viri verbis sermoni-

[1]) Verg. Aen. IV. 570. — [2] Propert. II. 9. 33. seq. — [3]) Horat. sat. II. 5; 81. seq. [1]) Conf. Sil. Ital. XII 243 250. Auson. Eidyl. XVI. 15. seq. Iuven. X. 190. seq Boet met. I. 9. seq. Ovid. medic. 45. 46. Ovid. trist. III 7; 33. seq — [5]) Ovid. amor. II. 16; 45. 46.

busque laeteris? Resume omnia simul, quae in amore sunt gaudia, rursumque taedia; multa ista pauca illa reperies, veramque illius sententiam dices, qui parum mellis in multo felle mersum, inquit amorem esse.[1])

Cum ergo, Nicolae, totus amor, de quo loquimur, vanus, asper, amarus, damnosusque sit et hominem morbo gravissimo teneat: curandum est, ut ab eo libereris. Cura autem ea est, ut menti tuae persvadeas: malum esse amorem. Post haec declines amicae sermonem, otium fugias,[2]) in negotio semper sis, viros bonos, qui te instruant, sequaris, nulli ludo, nulli convivio intersis. Si quid largita est amica, abs te abiicias. Nihil penes te sit, quod illius fuerit: *puta illam esse nuntium diaboli,* qui te perdere velit. Sint in memoria Christi beneficia, quae tibi impendit. Cogita, quot benefacienti praemia in coelestibus sedibus et quot malefacienti supplicia apud inferos praeparata sunt.

Cogita, dies tuos assidue fieri breviores, instareque ultimum. Cogita, quia irrisui est, qui amat et praesertim vir aevo maturus. Cogita instabilem mulieris animum, cogita perditionem temporis, quo nihil est pretiosius. Cogita dissipationem bonorum. Cogita vitam, quam vivimus, brevissimam in hoc saeculo, quamvis voluptatibus sit dedita et in alio mundo, quam inquirimus, nullum esse finem.

Haec, si tecum sedulo cogitaveris, praeceptaque ista tenueris: amorem, quo cruciaris, a te brevi tempore relegabis, virumque te praestabis Deo gratum, coeloque dignum. — Ex Vienna, 31. Decembris 1446.

Epistola 395.

Poenitet olim composuisse tractatum de duobus amantibus.

Tractatum de amore olim, sensu, pariterque aetate iuvenes, cum nos scripsisse recolimus, Carole, fili dilectissime, poenitentia immodica, pudorque ac moeror animum nostrum vehementer excruciant: quippe qui sciamus, quique protestati expresse fuimus: duo contineri in eo libello, apertam videlicet, — sed heu! lascivam nimis, prurientemque amoris historiam et morale, quod eam sequitur, aedificans dogma. Quorum primum fatuos atque errantes video sectari quam plurimos: alterum, heu dolor! paene nullos. Ita impravatum est atque obfuscatum infelix mortalium genus.

De amore igitur, quae scripsimus olim iuvenes, contenmite o mortales atque respuite; sequimini quae nunc dicimus et seni magis quam iuveni credite! Nec privatum hominem pluris facite quam Pontificem. *Aeneam reiicite, Pium suscipite.* Illud gentile nomen parentes indidere nascenti: hoc christianum in apostolatu suscepimus. Porro, si quem descripsimus Euryali Lucretiaeque amorem, devoti, ut accepimus, o miseri, o insipientes, perlegitis: huc propensius iamiam accedite. &c.

---

[1]) Plaut. Cistel. I. 1; 71. 72. — [2]) Ov. rem. amor.

Carole Cipriaci gloria magna soli.
Vt melius miserum caveas, dum noris amorem
Et redeas ad te, dum mea metra leges. &c.

Lectionum varietas.

Ba = Cod. Bamberg Be = Cod. Béldyanus. Br. edit. Braccii. C. = Cod. Gervasii. I. 1 = Incunabulum 215. I. 2 = Incun. 213. I. 3. = Incun. 151. H = editio Hopperi. Va = Cod. Vindobon. 3148. Vb = Cod. Viud. 3205.

Pag. 1 v. 1—6) ex I 1. et Br.

Aeneae Sylvii Senensis, de duobus amantibus Euryalo et Lucretia, opusculum ad Marianum Socinum, feliciter incipit. Praefatio. I. 2. = Sozini, excellentissimis naturae dotibus praediti, rogatu, tractatum de duobus amantibus composuit. Epistola CXII. H — Incipiunt epistolae Aeneae Sylvii, serenissimi Friderici Romanorum regis notarii. C. Deest in Va. Vb. Be — 2) Gaspari Slick, I. 1. 2 Gaspari Slyk, C. Gaspar Slyk, Be. Caspari Slick, Vb. Caspari Slig, Va — 5) ac terrarum . . . capitaneo, deest in Vb, Egee cubitique, I. 1. 2. — 7) et se reddit commendatum, deest, in C. H — 8) Mar. de Socinis Va. b, Socinus in I. 2 deest, $^{tum}_{tn}$ C. miri Br —9) $^{cuius}_{tutis}$ C. qui, Va. visurus an Vb. vis. non, Be — 10) efficit. Va, C, H — 12) siet, Vb, fiet Be, miraberis C. hominem, deest in H — 13) $^{natura}_{nam}$ C. homoncio, I. 1. — 14) parvor. homin. = Piccolomini — 15) $^{omnes}_{eius}$ C. Carmen — Plato, deest in Be, carmen fecit, Va — 17) uti Boet. Br. in maris matebio, Va — 19) civili iure Va, civilis Vb, stabat . . virtus, Vb — 20) eutellus Va, Cultellus Be, cultelli C, Satelles, H — 21) $^{cessu}_{cestu}$ C — 22) fascula Vb, $^{lapilli}_{lasulique}$ C. — 23) et illud, deest in I. 2, et in illum Vb, referri. H — 27) $^{etiam}_{certe}$ C. sorcitus, I. 1, at nullum novi, Va — 28) cui nec C. quic que Be, quidquid Va b, C. quid quod H. qui quae, Br — 31) meditare ignorans et ut alie virtutes Va, regunt dicuntque Be, dirigunt dicuntque C, — 34) plagarensis Va b — 35) veterem, Va b. (fetam) asinum, deest in I. 2, asina H, — 36) pullum, deest in Va b. Beonitius Va, Gamicus Vb, Gomitius Be. H. Bonius. C. Samitius I. 1 2. — 37) ostendit, C. (adscendit) — 39) vero, I 1. (praeterea) — 40) plena semp. eius, I. 1, plena semp. ei I. 2; illi pleni, Be — 41) advorsus nemini. Ter. And. I. 1; 7. populos H, — 42) indigenti. deest in Vb.

Pag. 2 v. 3) petat, C. Be (exigat) — 4) haud scio, I. 1 non scio. C. Be. H. illud, C. Be (id), me, Va b, Be, C, H, Br, (mihi) — 5) unice dilexi, in Va deest — 6) dum, H Br (cum), caeteras, Be ceteris vere doctis. Va. hoc, Vb, hoc max. bono Be, H. tum hoc max. bono C. sed in hoc maxime, Va — 7) sentiret, Va b. (sineret) — 8) rogatus . . . nec. in Be deest; sensui I. 1 2. — 9) eos Va, (res), enim, deest in Va b; C. H — 10) verus Va. his auribus in Va, deest; idthauribus, Be. his

aurib. audivi I. 2. — 11) ut aiunt, Va, at/aut C — 12) asserunt, I. 2 (arseris), quodque . . . putant, in Be deest. Galitior, I. 1; Br, gallior C, I. 2 H deest in Be, ibi/tibi C. inscium, I. 1 inscio/instruo C — 14) conscripserim, Be — 15) ne Va. evenit, C. H — 16) fueras qui fueras Be, vere, deest in Va b. Be, I. 1, H, ignem, Be — 17) ille namque, Be, ipse namq. Va C; ipsum namq. Br, ille utique, H, duorum, Va; lateat H. habet, Va — 18) vale et falleant, Va — 19) praefatio, I. 1. deest in Va b; I. 2. De amore illicito fugiendo. Praefatio, Be C. Prologus in eundem tractatum. Ep. CXIII. H. Epistola Aeneae Sylvii ad Marianum Sozinum. petentem componi tractatum Br — 21) Sonzino, Va Zozino Be, Zosino I. 1. — 22) tibi vero, Va b. — 24) convenit, C — 25) resuscitat, Va (res ista) Hexameter unde? depascit, H. reposcit, C; I. 1 2; Br — 26) amorum, H. nec quidquam . . . . virib. deest in Va — 27) senectuti Vb, difformius, I. 1 2; sine virib. deest in Vb, Invenies Va b, iuvenes, I. 2. — 28) aliquot, C. amatos nullos, Vb; amatum nullum, Be C; amatos vero nullos, I. 1 2; Br — 29) matrimoniis H, (matronis) — 31) agnosco, Br; mihi non . . . praetergressus, deest in Va — 32) quia Br, (qui); vesperam, H — 33) postulare, Va (poscere): dedecet/deceret C; decet Va b — 34) conf. Ter. Heaut. IV. 8; 30. est, H. (es) — 39) admixtum/agnistum. C.

